An. et vol. XCVII 1 Aprilis 2005 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Episcopis sacerdotibus fidelibusque de eucharistico anno

EXORDIUM

1. «Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit» (cfr *Lc* 24, 29). His verbis ex corde prorsus duo discipuli Emmaus vesperi petentes ipso resurrectionis die Peregrinantem compellaverunt, qui una cum iis iter faciebat. Tristibus onerati cogitationibus, minime animadverterunt ignotum illum virum suum esse Magistrum, iam resuscitatum. Sentiebant tamen intimum quendam «ardorem» (cfr *ibid.,* 32), dum loqueretur, eis «aperiens» Scripturas. Verbi nimirum lumen eorum cordium duritiem molliebat et «oculos eorum» (cfr *ibid.,* 31) aperiebat. Inter inclinati iam diei umbras et obscuritatem animos occupantem, Peregrinator ille lucis radius exstabat, qui spem concitabat et eorum animos ad plenam lucem obtinendam recludebat. «Mane nobiscum», sunt obtestati. Et ipse consensit. Paulo post, Iesu vultus disparuit, sed «mansit» Magister sub specie «panis fracti», pro quo eorum oculi sunt aperti.

2. De Emmaus discipulorum imago omnino congrua est ad Annum dirigendum, cum peculiari se adstringit officio Ecclesia Sacrae Eucharistiae vivendi mysterium. In nostrarum interrogationum semita nostrarumque anxietatum, nonnumquam etiam nostrarum acerbarum frustrationum, divinus Peregrinator fit continenter noster socius, ut per Scripturarum interpretationem ad Dei mysteriorum cognitionem perducamur. Cum occursus fit plenus, Verbi sub luce illa accedit quae ex «Pane vitae» oritur, quo Christus summopere suum promissum adimplet nobiscum manendi «omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (*Mt* 28, 20).

3. «Fractio panis» — quemadmodum in principio vocabatur Eucharistia — usque in Ecclesiae vita principem obtinet locum. Per eam temporis decursu Christus mortis resurrectionisque praesens suum reddit mysterium. In ea Ipse veluti persona sicut «panis vivus, qui de caelo» (*Io* 6, 51) descendit recipitur, itemque cum Eo vitae aeternae nobis pignus datur, per quod caelestis Ierusalem praegustatur aeternum convivium. Saepenumero, atque nuperius in Litteris Encyclicis *Ecclesia de Eucharistia*, Patrum, Conciliorum Oecumenicorum ipsorumque Nostrorum Decessorum doctrinam persequentes, Ecclesiam ad Eucharistiam cogitandam invitavimus. Quapropter hoc scripto Nostro non est in animo doctrinam iam propositam iterare, quam commendamus ut altius vestigetur et intellegatur. Putavimus tamen hanc propter rem magno esse adiumento integrum Annum mirabili huic Sacramento dicatum.

4. Quemadmodum liquet, Eucharisticus Annus a mense Octobri anni MMIV ad mensem Octobrem anni MMV evolvetur. Huius incepti opportunam occasionem duo eventus Nobis praebent, qui congruenter initium exitumque notabunt: scilicet Congressus Eucharisticus Internationalis, diebus X-XVII mensis Octobris anno MMIV Guadalaiarae in Mexico celebrandus, atque Coetus Ordinarius Synodi Episcoporum, qui in urbe Vaticana diebus II-XXIX mensis Octobris anni MMV de hoc argumento aget: «Eucharistia fons et culmen vitae et Ecclesiae missionis». Non defuit praeterea alia consideratio quominus ad hoc propositum Nos converteremus: hoc anno Mundialis Iuventutis Dies contingit, qui Coloniae diebus XVI-XXI mensis Augusti anni MMV celebrabitur. Eucharistia vitale est centrum ad quod iuvenes conveniant optamus, ut eorum fides studiumque alantur. Cogitatio huiusmodi incepti eucharistici iam pridem Nostro in animo versabatur: id namque congruentem constituit progressum pastoralis illius consilii, quo involvi voluimus Ecclesiam, ab annis potissimum initio capto, cum Iubilaeum comparabatur, quodque postea subsequentibus annis resumpsimus.

5. Epistula hac apostolica confirmare continuatum hoc propositum Nobis placet, ut cunctis facilius sit hoc spiritale momentum intellegere. Quod ad Annum Eucharisticum re efficiendum attinet, Pastorum Ecclesiarum particularium personali sollicitudine confidimus, quibus erga sic magnum Mysterium devotio opportuna incepta suggeret. Nostris porro Fratribus Episcopis minime difficile erit intellegere inceptum hoc, quod Annum Rosarii conclusum proxime sequitur, sic alte attingere spiritalem rationem, ut singularum Ecclesiarum proposita minime impediantur. Quod immo efficaciter illuminare ea potest cum Mysterio eadem, ut ita dicamus, nectens, quod radix est et

arcanum fidelium spiritalis vitae itemque simul omnium Ecclesiae localis inceptorum. Haud poscimus itaque ut spiritalia «itinera» intermittantur, quae singulae Ecclesiae faciunt, sed ut in iis eucharistica ratio amplificetur, quae peculiaris est cunctae vitae christianae. Nostra ex parte hanc per Epistulam quasdam praecipuas rationes praebere volumus, fiduciam habentes Dei Populum, omnibus ex ordinibus, prompta obsequentia fervidoque amore hoc consilium Nostrum esse suscepturum.

I

SECUNDUM CONCILII IUBILAEIQUE DUCTUM

In Christum intuitu

6. Decem abhinc annos *Tertio millennio adveniente* (diei X mensis Novembris anno MCMXCIV) gaudentes Ecclesiae iter demonstravimus parandi Magni Iubilaei Anni MM. Historicam hanc occasionem animadvertimus Ecclesiae obvenire veluti praestantem gratiam. Certe non id Nos fallebat merum temporis transitum, licet fascinosum, magnas mutationes per se importare posse. Eventus, pro dolor, post Millennium incohatum, asperam cum superioribus facinoribus et saepe cum pessimis ex iis coniunctionem confirmant. Scaenae sic quaedam designantur, quae praeter iucundum aliquem prospectum, praevidere sinit obscuras violentiae sanguinisque umbras, quae usque Nos contristant. Atqui cum Ecclesiam ad Iubilaeum duorum ab Incarnatione milium annorum celebrandum invitaremus, Nobis prorsus conscii fuimus — e magis quam umquam nunc sumus! — pro humanitatis «longis temporis spatiis» operandi.

Christus namque non modo praecipuum tenet locum in annalibus Ecclesiae, sed etiam humanitatis. In Eo omnia recapitulantur (cfr *Eph* 1, 10; *Col* 1, 15-20). Quis non recordetur studium, quo Concilium Oecumenicum Vaticanum II, Paulum VI Pontificem memorando, confessum est: «Dominus finis est humanae historiae, punctum in quod historiae et civilizationis desideria vergunt, humani generis centrum, omnium cordium gaudium eorumque appetitionum plenitudo»? [1] Concilii doctrina novas subtilioresque cognitiones intulit de Ecclesiae natura, cum ad attentius fidei mysteria ipsasque res terrestres Christi sub lumine intellegenda credentium animos reclusit. In

[1] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 45.

Eo enim, Verbo Incarnato, non tantum Dei, verum etiam hominis ipsum mysterium revelatur.[2] Redemptionem in Eo reperit homo et plenitudinem.

7. In Litteris Encyclicis *Redemptor hominis*, cum initium Pontificatus sumeremus, argumentum hoc plane evolvimus, quod variis occasionibus usi rursus tetigimus. Iubilaeum ad veritatem hanc praecipuam mentem fidelium dirigendi appositam dedit facultatem. Huius magni eventus comparatio trinitaria fuit prorsus et christocentrica. Hoc in contextu deesse certe non potuit Eucharistia. Si hodie ad Eucharistiae Annum celebrandum nos comparamus, libenter recordamur Nos in Epistula Apostolica *Tertio millennio adveniente* scripsisse: « MM annus erit penitus eucharisticus: in Eucharistiae sacramento Salvator, in Mariae sinu abhinc viginti saecula incarnatus, divinae vitae sicut fontem se offerre pergit humanitati ».[3] Eucharisticus Internationalis Congressus Romae celebratus certam dedit huic Magni Iubilaei significationi formam. Reminisci decet praeparantes Nos penitus Iubilaeum Apostolica in Epistula *Dies Domini* meditandum proposuisse credentibus argumentum ipsius « Dominicae » diei tamquam Domini resuscitati peculiarisque Ecclesiae totius diei. Cunctos tunc invitavimus ut eucharisticam Celebrationem tamquam Dominicae diei cor iterum reperirent.[4]

Christi vultum cum Maria contemplari

8. Aliquo modo hereditatem Magni Iubilaei suscepit Apostolica Epistula *Novo millennio ineunte*. Eo quidem in documento veluti in rerum quodam proposito imaginem suadebamus ecclesialis officii pastoralis innitentis Christi vultus contemplatione, sicut partem ecclesialis institutionis quae tendere posset ad « altum modum » sanctitatis praesertim arte precationis adeptae.[5] Sed deficere quomodo poterat hoc in rerum prospectu liturgicum munus nominatimque vitae eucharisticae cura? Scripsimus tunc: « Vicesimo hoc saeculo, maxime inde a Concilio Oecumenico Vaticano Secundo, multum profecit christiana communitas in ratione ipsa Sacramentorum celebrandorum potissimumque Eucharistiae. In hanc partem omnino progredi oportet, peculiari in adsignando pondere Eucharistiae diei Dominici atque ipsi diei Dominico, qui percipi debet veluti praecipuus fidei dies, dies resuscitati Domini ac Spiritus Sancti doni, verum hebdomadae totius Pascha ».[6] Cupientes autem

[2] Cfr *ibid.*, 22.
[3] N. 55: *AAS* 87 (1995), 38.
[4] Cfr nn. 32-34: *AAS* 90 (1998), 732-734.
[5] Cfr nn. 30-32: *AAS* 93 (2001), 287-289.
[6] *Ibid.*, 35, *l.m.*, 290-291.

ad precationem fideles educare monuimus deinde ut Liturgiam Horarum excolerent, qua varias diei horas sanctificat Ecclesia nec non temporum progressum in ipsa liturgici anni propria vicissitudine.

9. Deinde autem indicentes Nos Rosarii Annum atque Epistulam Apostolicam edentes *Rosarium Virginis Mariae* contemplationem Christi vultus repetivimus iam inde a Mariali prospectu, per renovatam Rosarii propositionem. Revera haec tradita precatio, a Magisterio ipso tam vehementer commendata tamque populo Dei cara, speciem prae se fert omnino biblicam et evangelicam quae maxima ex parte in nomen vultumque Iesu intenditur, dum mysteria ponderantur atque in prece *Ave Maria* iterantur. Repetens enim eius passus genus quoddam paedagogiae amoris efficit, inde quidem effectae ut animi eodem accenderentur amore quem suum erga Filium nutrit Maria. Hanc ob causam Nos, ulteriorem ad maturationem promoventes hoc plurium saeculorum iter, voluimus omnino ut designata haec contemplationis forma suam figuram veluti veri «Evangelii compendii» in mysteriis etiam lucis[7] includendis perficeret. Et quis non collocet in lucis mysteriorum culmine Sanctam Eucharistiam?

A Rosarii Anno in Annum Eucharistiae

10. Medio plane in Rosarii Anno Litteras Encyclicas *Ecclesia de Eucharistia* promulgavimus, quibus explicare voluimus mysterium Eucharistiae propria in coniunctione inseparabili vitalique cum Ecclesia. Omnes revocavimus ad eucharisticum Sacrificium illo studio celebrandum quod meretur, Iesu ipsi in Eucharistia praesenti, etiam extra Missae celebrationem, adorationis exhibentes cultum tanti dignum Mysterii. Ante omnia eucharisticae spiritalitatis postulatum iteravimus, exemplum Mariae indicantes tamquam «mulieris eucharisticae».[8]

Reponitur ideo Eucharistiae Annus in quodam prospectu qui singulos in annos dilatatur, etiamsi semper firmiter inseritur in Christi ipsius veritatis eiusque vultus contemplationem. Aliquo modo sese praebet ille Annus tamquam synthesis tempus, sicuti quendam verticem totius iam exacti itineris. Tot alia dici possunt ut bene hic agatur Annus. Quosdam solummodo significabimus prospectus quibus adiuvari omnes possint ut ad illuminatos quosdam fecundosque moveantur habitus.

[7] Cfr Ep. Ap. *Rosarium Virginis Mariae* (16 Octobris 2002), 19-21: *AAS* 95 (2003), 18-20.
[8] Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 53: *AAS* 95 (2003), 469.

II

EUCHARISTIA LUCIS MYSTERIUM

«*Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*» (*Lc* 24, 27)

11. Iesu resuscitati duobus discipulis de Emmaus apparentis descriptio adiuvat nos ut primam rationem mysterii eucharistici in medium proiciamus, quae nempe adsit semper oportet in Populi Dei pietate: Eucharistia lucis mysterium! Quo autem sensu hoc dici potest et quae derivare possunt inde effecta ad spiritalitatem vitamque christianam agendam?

Se ipsum Iesus definivit «lucem mundi» (cfr *Io* 8, 12), et haec eius qualitas illis vitae ipsius bene illuminatur temporibus, qualia sunt Transfiguratio ac Resurrectio, ubi luculenter divina eius gloria resplendet. In Eucharistia vero gloria Christi velatur. Eucharisticum sacramentum suapte natura est «mysterium fidei». Nihilominus per hoc mysterium totalis suae absconditionis se Christus lucis efficit mysterium, per quod credens in vitae divinae altitudinem est introductus. Non sine provido intuitu imago Trinitatis artificis Rublev significanter in media trinitaria vita Eucharistiam ponit.

12. Eucharistia est lux ante omnia quoniam in omni Missa Verbi Dei liturgia antecedit eucharisticam liturgiam, dum unitatem servat duarum «mensarum», Verbi videlicet et Panis. Ex eucharistico sermone Evangelii Ioannis haec emergit continuitas, ubi Iesu annuntiatio transit ab explicatione eius mysterii principali ad ipsius eucharisticae rationis illuminationem: «Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus» (*Io* 6, 55). Scimus hoc in dubitationem adduxisse magnam auscultantium partem ipsumque Petrum permovisse ut fidei aliorum Apostolorum atque Ecclesiae omnium temporum se praeberet interpretem: «Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes» (*Io* 6, 68). Et in discipulorum de Emmaus enarratione Christus ipse intercedit ut demonstret, «incipiens a Moyse et omnibus Prophetis», quemadmodum «in omnibus Scripturis» mysterium personae eius inducatur (cfr *Lc* 24, 27). Sermo eius facit ut «ardens» sit cor discipulorum, quos ex tristitiae obscuritate ac desperationis subtrahit et in quibus desiderium excitat cum eo manendi: «Mane nobiscum, Domine» (cfr *Lc* 24, 29).

13. Concilii Vaticani II Patres in Constitutione *Sacrosanctum Concilium* statuerunt ut «mensa Verbi» affatim fidelibus thesauros Scripturarum reseraret.[9] Hac de causa consenserunt in Celebratione liturgica ut praesertim lecturae biblicae lingua omnibus intellegibili offerrentur. Ecclesia enim Sa-

[9] Cfr n. 51.

cras legente Scripturas Christus loquitur ipse.[10] Eodem autem tempore celebranti homiliam commendaverunt uti eiusdem Liturgiae partem, eo spectantem ut Verbum Dei illuminaretur atque in vita christiana impleretur.[11] Quadragesimo post Concilium hoc anno, potest secum adferre Eucharistiae Annus opportunitatem praestantem ut de hac re sese interrogent christianae communitates. Non enim sufficit biblicos locos lingua intellegibili proclamari, si praedicatio non fit illa cura atque praevia praeparatione, illa auscultatione devota ac meditanti silentio, quae omnino necessaria sunt ut vitam hominum Verbum Dei tangat eamque collustret.

«*Cognoverunt eum in fractione panis*» (*Lc* 24, 35)

14. Notatu dignum est duos discipulos de Emmaus, Domini verbis congruenter edoctos, ad mensam eum cognovisse ex humili «fractionis panis» gestu. Cum mentes illuminantur et corda ardent, tunc signa «loquuntur». Eucharistia evolvitur actuoso signorum contextu, quae densum ac fulgidum afferunt nuntium. Accidit ut per signa mysterium ante oculos credentis quodammodo ostendatur.

Sicut Nostris in Litteris Encyclicis *Ecclesia de Eucharistia* illustravimus, interest ut ne ullus quidem posthabeatur aspectus huius Sacramenti. Etenim homini semper instat tentatio Eucharistiam aptandi ad proprias dimensiones, dum reapse homo se aperire tenetur dimensionibus Mysterii. «Donum enim Eucharistia nimis magnum est ut ambiguitates et imminutiones perferat».[12]

15. Haud dubie ratio Eucharistiae magis perspicua est aspectus convivii. Eucharistia nascitur Vesperi Feriae V in Cena Domini, in contextu Cenae Paschalis. Quapropter Eucharistia suapte natura convivialitatis sensum secumfert: «Accipite, comedite... Et accipiens calicem... dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes...» (*Mt* 26, 26.27). Hic aspectus recte necessitudinem communionis enuntiat quam Deus nobiscum suscipere cupit quamque nosmet ipsi mutuo excolere tenemur.

Attamen non est obliviscendum eucharisticum convivium complecti quoque sensum penitus et in primis sacrificalem.[13] In eo Christus iterum nobis profert sacrificium semel in perpetuum oblatum in Golgotha. Quamvis ibi resuscitatus

[10] Cfr *ibid.*, 7.

[11] Cfr *ibid.*, 52.

[12] Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 10: *AAS* 95 (2003), 439.

[13] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 10: *AAS* 95 (2003), 439; Congr. De Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. *Redemptionis Sacramentum* de quibusdam observandis et vitandis circa Sanctissimam Eucharistiam (25 Martii 2004), 38: *L'Osservatore Romano* 24 Aprilis 2004, suppl., p. 3.

exhibetur, Ipse prae se fert signa suae passionis, cuius omnis Sancta Missa est « memoriale », sicut Liturgia id nobis memorat post consecrationem cum clamat: « Mortem tuam annuntiamus, Domine, et tuam resurrectionem confitemur... ». Simulque, dum praeteritum tempus in praesens vertit, Eucharistia nos proicit ad futurum novissimi adventus Christi, ad extrema rerum tempora. Hic « eschatologicus » aspectus eucharistico Sacramento tribuit quandam vim nos devincientem, quae christiano itineri transitum ad spem aperit.

« *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus...* » (*Mt* 28, 20)

16. Hae quidem rationes Eucharistiae coniunguntur in unam, quae magis quam ceterae omnes nostram fidem periclitatur: agitur de mysterio praesentiae « realis ». Ut ab exordiis inde Ecclesiae traditur, credimus Iesum esse sub eucharisticis speciebus realiter praesentem. Loquimur de praesentia — uti efficienter docuit Summus Pontifex Paulus VI — quae « realis » dicitur non per exclusionem, quasi aliae « reales » non sint, sed per excellentiam, quia nimirum per eam totus atque integer Christus, fit substantialiter praesens in realitate sui corporis et sanguinis.[14] Quapropter fides a nobis postulat ut sistamus coram Eucharistia conscii nos esse coram ipso Christo. Ipsa haec praesentia ceteris rationibus — nempe convivii, memorialis Paschatis, anticipationis eschatologicae — significationem tribuit quae exsuperat sensum tantummodo symbolicum. Eucharistia est mysterium praesentiae, quo maximopere adimpletur promissio Iesu nobiscum manendi usque ad consummationem saeculi.

Celebrare, adorare, contemplari

17. Eucharistia, magnum mysterium! Mysterium quod quam maxime rite est celebrandum. Sancta Missa cardo vitae christianae sit oportet, et in singulis communitatibus omni ope contendatur ut cum dignitate celebretur, servatis normis praescriptis, cum participatione populi, et adhibeantur diversi ministri, qui munera sibi propria exerceant, nec non summo studio mens attendatur ad sacralitatem qua cantus et musica liturgica insigniri debent. Ut munus quoddam re impleatur hoc Anno Eucharistiae dicato, optatur ut in singulis communitatibus paroecialibus *Institutio Generalis Missalis Romani* penitus inspiciatur. Praecipuum iter ut ingrediamur in mysterium salutis, sanctis « signis » peractae, in eo est ut mentem fideliter convertamus ad circulum Anni liturgici. Pastores navent operam in illa catechesi « mystagogica », Patribus Ecclesiae

[14] Cfr Litt. Enc. *Mysterium fidei* (3 Septembris 1965), 39: *AAS* 57 (1965), 764; Sacra Rituum Congregatio, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 9: *AAS* 59 (1967), 547.

adeo peraccepta, quoniam iuvamen est ad detegendam efficaciam gestuum et verborum Liturgiae, per quae fideles a signis transire possint ad mysterium, atque integram eorum vitam cum ipso mysterio miscere valeant.

18. Peculiarem in modum foveatur oportet, sive in Missae celebratione sive in cultu eucharistico extra Missam, vivida conscientia de reali Christi praesentia, et curetur ut gradu vocis, gestibus, motibus, omnique modo se gerendi testimonium de ipsa perhibeatur. Ad rem quod attinet, normae nos admonent — et Nosmet Ipsi nuper hoc confirmavimus [15] — de pondere spatiis silentii tribuendo sive in celebratione sive in eucharistica adoratione. Necesse est — quo brevius dicamus — ut modi Eucharistiam a ministris et fidelibus tractandi ad summam ducantur venerationem.[16] Praesentia Iesu in tabernaculo constituat veluti centrum quo trahantur plures in dies animae eius amore captae, quae ad eius vocem audiendam et veluti ad cordis pulsus percipiendos diuturne se sistant. «Gustate et videte quoniam suavis est Dominus!» (*Ps* 34 [33], 9).

Adoratio eucharistica extra Missam hoc currente Anno peculiare sit munus singulis communitatibus paroecialibus et religiosis implendum. Coram Iesu praesenti in Eucharistia diuturne provoluti maneamus, ut tam fide quam amore nostro neglegentias reparemus, nec non obliviones, immo iniurias quas Salvator noster pati debet in pluribus terrae regionibus. Contendamus ut in adoratione contemplatio nostra personalis et communitaria penitius exerceatur, adhibentes quoque subsidia precationum quae semper ad Verbum Dei et ad experientiam tot veterum ac recentium mysticorum aptentur. Ipsa Rosarii corona, percepta profundo suo sensu — biblico et christocentrico — quam commendavimus Nostra in Epistula Apostolica *Rosarium Virginis Mariae*, singulariter idoneum esse poterit iter ad eucharisticam contemplationem, peractam in societate cum Maria et apud eiusdem scholam.[17]

Hoc anno singulari fervore celebretur sollemnitas Corporis Domini sueta cum processione. Fides in Deum qui, carnem assumens, noster in itinere socius factus est, ubique proclametur ac maxime nostris in viis et intra domesticos parietes, veluti testificatio grati amoris nostri et tamquam fons inexhaustae benedictionis.

[15] Cfr Ep. Ap. *Spiritus et Sponsa*, XL exeunte anno a Constitutione *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia (4 Decembris 2003), 13: *AAS* 96 (2004), 425.

[16] Cfr Congr. De Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Instr. *Redemptionis Sacramentum* de quibusdam observandis et vitandis circa Sanctissimam Eucharistiam (25 Martii 2004): *L'Osservatore Romano*, 24 Aprilis 2004, suppl.

[17] Cfr *ibid.*, *l.m.*, p. 7.

III

EUCHARISTIA FONS AC COMMUNIONIS EPIPHANIA

«*Manete in me, et ego in vobis*» (*Io* 15, 4)

19. Discipulis de Emmaus Eum «secum» manere rogantibus, Iesus dono multo maiore respondit: per Eucharistiae sacramentum invenit modum quo «in» illis maneret. Eucharistiam sumere est idem ac artam communionem cum Christo inire. «Manete in me, et ego in vobis» (*Io* 15, 4). Hoc vinculum intimae et mutuae «inhabitationis» potestatem nobis facit ut caelum in terra quodammodo anticipemus. Nonne est hoc maximum hominis desiderium? Nonne est hoc quod Deus sibi proposuit, in historia efficiens suum salutis consilium? Ipse Verbi sui «famem» (cfr *Am* 8, 11) in corde hominis posuit, famem quae tantum plena cum Eo coniunctione satiabitur. Communio eucharistica nobis datur ut his in terris Deo «satiemur», exspectantes plenam in caelo satisfactionem.

Unus panis, unum corpus

20. Haec vero peculiaris coniunctio, quae in eucharistica communione efficitur, extra ecclesialem communionem congruenter intellegi non potest nec plene perfici. Ea sunt quae in Litteris Encyclicis *Ecclesia de Eucharistia* iterum ac saepius expressimus. Ecclesia est corpus Christi: «cum Christo» tantum aliquis procedit quantum «cum eius corpore» convenit. Ut coniunctio ista efficiatur ac foveatur, Christus curat Spiritus Sancti effusione. Et Ipsemet illam promovere per suam praesentiam eucharisticam non desinit. Unus enim panis eucharisticus est qui unum corpus nos facit. Hoc Paulus Apostolus dicit: «Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamur» (*1 Cor* 10, 17). In eucharistico mysterio Iesus aedificat Ecclesiam uti communionem, secundum exemplar summum in sacerdotali precatione evocatum: «Sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti» (*Io* 17, 21).

21. Si Eucharistia ecclesialis unitatis est fons, ipsius est etiam maxima manifestatio. Eucharistia est communionis epiphania. Quam ob rem Ecclesia condiciones quasdam ponit ut quis eucharisticam Celebrationem plene communicare possit.[18] Quibus tamen finibus inducendi nos sumus ut magis

[18] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 44: *AAS* 95 (2003), 462; *Codex Iuris Canonici*, can. 908; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 702; Pontificium Consilium Ad Unitatem Fovendam, *Directorium oecumenicum* (25 Martii 1993), 122-125, 129-131: *AAS* 85 (1993), 1086-1089; Congregatio Pro Doctrina Fidei, Litt. *Ad exsequendam* (18 Maii 2001): *AAS* 93 (2001), 786.

magisque sciamus quantum exigat communio quam Iesus ex nobis requirit. Quae est hierarchica communio, in variorum munerum ac ministeriorum conscientia nixa, in eucharistica quoque prece usque confirmata per Romani Pontificis commemorationem et Episcopi dioecesani. Quae est fraterna communio, « spiritualitate communionis » exercita quae in mutuam apertionem, affectum, indulgentiam ac veniam nos inducit.[19]

« *Cor et anima una* » (*Act* 4, 32)

22. In Sancta quaque Missa ad nos communionis norma metiendos vocamur, quam Actus Apostolorum exprimunt uti cunctorum temporum Ecclesiae exemplar. Quae est Ecclesia apud Apostolos adunata, Dei Verbo convocata, communicationis capax quae non tantum ad bona spiritalia pertinet, verum ad ipsas substantias (cfr *Act* 2, 42-47; 4, 32-35). Praesenti Anno Eucharistiae Dominus nos vocat ut huic fastigio quam maxime accedamus. Peculiari studio vivantur quae a Liturgia sunt iam proposita pro « Missa stationali », quam Episcopus, Dei Populo omnibus in suis membris participante, una cum presbyteris suis ac diaconis in ecclesia cathedrali celebrat. Haec est praecipua Ecclesiae « manifestatio ».[20] Laudabile autem erit insignes alias occasiones reperire, etiam in paroeciis, ut, de eucharistica Celebratione renovatum fervorem hauriendo, communionis sensus crescat.

Dies Domini

23. Nos in primis optamus ut praesenti anno peculiare studium conferatur ad iterum Dominicam intellegendam ac plene vivendam uti diem Domini et diem Ecclesiae. Perlaeti quidem erimus si rursus penitus considerabitur quod in Litteris Apostolicis *Dies Domini* scripsimus. « Etenim in Missa ipsa dominicali Christiani summopere denuo percipiunt quod paschali vespera Apostoli sunt experti, cum Resuscitatus illis una congregatis apparuit (cfr *Io* 20, 19). In parvo illo discipulorum manipulo, Ecclesiae nempe primitiis, cunctorum temporum quodammodo Dei Populus aderat ».[21] Hoc gratiae anno presbyteri in sua pastorali actione mentem ampliorem in dies in Missam dominicalem intendant, tamquam celebrationem qua paroecialis communitas coniuncte convenit, plerumque participantibus diversis quoque motibus, consociationibus quae in ea adsunt.

[19] Cfr. Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 43: *AAS* 93 (2001), 297.

[20] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 41.

[21] N. 33: *AAS* 90 (1998), 733.

IV

EUCHARISTIA PRINCIPIUM ET PROPOSITUM «MISSIONIS»

«*Eadem hora regressi sunt*» (*Lc* 24, 33)

24. Duo discipuli de Emmaus, postquam Dominum cognoverunt, «eadem hora regressi sunt» (*Lc* 24, 33) ad illud communicandum quod viderant et audierant. Cum quis Resuscitatum est expertus, se eius sustentans corpore et sanguine, non potest sibi tantummodo istud tenere perceptum gaudium. Cum Christo occursus, usque altior retentus in eucharistica familiaritate, in Ecclesia atque in unoquoque christiano testificandi et evangelizandi necessitatem suscitat. Quod illustravimus in homilia qua Eucharistiae Annum nuntiavimus, ad verba Nos referentes Pauli: «Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiatis, donec veniat» (*1 Cor* 11, 26). Apostolus alta necessitudine inter se convivium iungit et nuntium: in communionem cum Christo in Paschatis ingredi memoria significat, eodem tempore, experiri officium ut quis se missionarium praestet eventus quem hic ritus praesentem facit.[22] Salutatio ad finem cuiusque Missae mandatum quoddam constituit, quod christianum ad munus urget Evangelium propagandi adque christianam societatis animationem.

25. Ad eiusmodi missionem Eucharistia non solum interiorem vim offert, sed etiam — quadam ratione — propositum. Ipsa enim est modus exsistendi, qui a Iesu transit ad christianum et, ipsius testificatione, aspicit ad se in societate et in cultura diffundendam. Ut istud eveniat, necesse est unumquemque fidelem sibi appropriare, in meditatione personali et communitatis, bona quae Eucharistia significat, mores quos ipsa inspirat, consilia quae suscitat. Cur non videamus in hoc peculiare mandatum quod ex Eucharistiae Anno scaturire possit?

Gratias agere

26. Fundamentale elementum huius propositi ex ipsa emergit notione vocabuli «eucharistia»: gratiarum actio. In Iesu, in eius sacrificio, in eius «sic» sine condicione erga Patris voluntatem, «sic», «gratiae» et «amen»

[22] Cfr Homilia in Sollemnitate Corporis Domini (10 Iunii 2004): *L'Osservatore Romano*, 11-12 Iunii 2004, p. 6.

omnis hominum generis adsunt. Ecclesia ad memorandam hominibus istam magnam veritatem appellatur. Poscitur omnino ut hoc potissimum fiat nostra in cultura saeculari, quae oblivionem spirat Dei atque vanam colit hominis sui ipsius sufficientiam. Incarnare eucharisticum propositum in vita cotidiana, ubi homines vivunt et operam navant — in familia, in schola, in officina, in diversis vitae condicionibus — significat, inter alia, testificari veritatem rerum humanam non defendi sine necessitudine cum Creatore. «Creatura enim sine Creatore evanescit».[23] Haec transcendens necessitudo, quae nos ad perennes obligat «gratias» — scilicet ad habitum eucharisticum — quantum habemus et sumus, legitimam autonomiam rerum terrestrium non praeiudicat,[24] sed illam constituit verius collocans, eodem tempore, inter eius iustos limites.

Hoc Eucharistiae Anno oportet ut christiani testificationem suscipiant fortiore etiam modo praesentiae Dei in mundo. Ne metum de Deo loquendi habeamus neque manifestius fidei signa afferendi. «Eucharistiae cultura» cultum etiam provehit dialogi qui in ea vim suam detegit et alimoniam. Errat quicumque considerat publicam coniunctionem cum fide incidere iustam posse condicionem liberam Status atque civilium institutionum, vel etiam ad intolerantiae hortari affectum. Si in historia non defuerunt errores in hac re etiam apud credentes, sicut agnovimus Iubilaei occasione, istud tribuendum non est «christianis radicibus», sed incongruentiae christianorum cum propriis radicibus. Quicumque gratias Christi crucifixi more agere didicerit, martyr esse poterit at numquam erit carnifex.

Solidarietatis trames

27. Non unius communionis in Ecclesiae vita est Eucharistia declaratio; etiam omni hominum generi est solidarietatis consilium. Perpetuo enim intra Eucharisticam celebrationem renovat suam conscientiam Ecclesia: se nempe esse «signum et instrumentum» non artissimae cum Deo solius consociationis, verum etiam unitatis omnium quidem hominum.[25] Unumquodque enim Missae sacrificium, etiam cum abscondito loco celebratur aut in dissitissima terrae regione, universalitatis semper prae se fert signum. Particeps namque Eucharistiae quisque christianus inde intellegit sese efficere debere communionis et pacis et solidarietatis propugnatorem, omnibus quidem in vitae adiunctis. Orbis nostri imago ipsa laniata, quae novum induxit

[23] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 36.
[24] Cfr *ibid*.
[25] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 1.

Millennium cum terrorum spectro bellorumque tragoediis, christifideles magis quam umquam alias incitat ut Eucharistiam veluti magnam pacis scholam vivant, ubi viri atque mulieres efformantur qui variis in vitae socialis, culturalis, politicae ordinibus ex officio sese dialogi atque communionis effectores praebent.

Ad tenuiorum ministerium

28. Aliud est praeterea argumentum ad quod animos revocare volumus, quoniam in eo magnam partem agitur vera Eucharistiae participatio intra communitatem celebratae: est enim incitamentum quod percipit illa ad actuosum opus in societate magis aequa ac fraterna exaedificanda. Deus enim noster in Eucharistia formam ostendit amoris ultimam evertitque regulas universas dominationis quibus nimium saepe rationes inter homines reguntur et funditus protulit serviendi normam: «Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister» (*Mc* 9, 35). Non sine causa apud Ioannis Evangelium institutionis eucharisticae narrationem non invenimus, sed solum «pedum lavationis» (cfr *Io* 13, 1-20): discipulorum videlicet suorum pedes lavaturus sese Iesus inclinat atque modo haud aequivoco sensum Eucharistiae explicat. Vehementer prorsus sanctus Paulus inculcat non permitti eucharisticam celebrationem ubi caritas non eluceat quam solida cum pauperioribus communicatio testificetur (cfr *1 Cor* 11, 17-22.27-34).

Cur igitur ex hoc Eucharistiae Anno non instituitur tempus, quo dioecesanae paroecialesque communitates se praecipue obligant ut fraterno cum studio certae cuidam paupertatis condicioni hisce in terris occurrant? Angorem famis cogitamus quae multa centena millia hominum conflictat; aegrotationes pariter cogitamus quae Nationes ad progressionem emergentes torquent, sicut et senescentium solitudinem et opere carentium incommoda et migrantium adversitates. Mala haec sunt quae, licet aliis rationibus, regiones opulentiores quoque attingunt. Decipi non possumus: ex mutuo etenim amore ac potissimum ex ipsa sollicitudine nostra erga egentes nos tamquam veri Christi discipuli agnoscemur (cfr *Io* 13, 35; *Mt* 25, 31-46). Haec est regula secundum quam veritas celebrationum eucharisticarum nostrarum comprobabitur.

CONCLUSIO

29. *O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur!* Eucharistiae Annus nascitur de stupore quo Ecclesia prosternitur coram hoc magno Mysterio. Stupor est qui Nostrum animum pervadere non cessat. Ex ipso manaverunt Litterae Encyclicae *Ecclesia de Eucharistia*. Percipimus eximiam illam gratiam vicesimi septimi anni Nostri ministerii, quem inituri sumus, quod Nos totam Ecclesiam nunc hortari possumus ad ineffabile hoc Sacramentum modo omnino singulari contemplandum, laudandum et adorandum. Eucharistiae Annus omnibus occasio excellens sit ad renovandam conscientiam de insigni hoc thesauro quem Christus suae concredidit Ecclesiae. Incitamentum sit ad magis vivam et ardentem celebrationem, ex qua christiana scaturiat exsistentia amore transformata.

Tot incepta effici poterunt hoc in prospectu sub iudicio Pastorum Ecclesiarum particularium. Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum certo offeret hac in re utilia huiusmodi consilia et propositiones. Attamen non petimus ut res extraordinariae efficiantur, sed potius ut omnia incepta inspirentur interioritate sublimi. Etiamsi huius Anni fructus fuerit solummodo ut in omnibus christianis communitatibus renovetur Missae dominicalis celebratio atque augeatur Eucharistiae adoratio extra Missam, hic gratiae Annus manifestum consecutus erit effectum. At bonum est ad altiora nos tendere, de mediocritate non satisfactos, quoniam scimus nos Dei auxilio semper confidere posse.

30. Vobis, Venerabiles Fratres in Episcopatu, hunc Annum committimus, persuasum habentes vos omni apostolico ardore invitationem Nostram esse accepturos.

Vos, presbyteri, qui cotidie proferitis verba consecrationis et testes estis ac praecones magni miraculi amoris quod in manibus vestris evenit, sinite vos interpellari singularis huius Anni gratia, cotidie celebrantes Sanctam Missam eadem cum laetitia et fervore primae celebrationis atque libenter consistentes in oratione coram Tabernaculo.

Annus gratiae sit vobis, diaconi, qui ex propinquo involuti estis in Verbi ministerio atque Altaris servitio. Vos quoque acolythi, lectores, ministri extraordinarii communionis, habete vivam conscientiam doni, quod praebetur per ministerium vobis commissum in prospectu dignae Eucharisticae celebrationis.

Praecipue Nostram vertimus mentem ad vos, futuri presbyteri: in Seminarii vita sic facite ut experiri possitis quam suave sit non solum cotidie

Sanctam Missam participare, sed etiam in colloquio cum Iesu Eucharistia diuturne persistere.

Vos quidem, consecrati viri et mulieres, ex ipsa vestra consecratione ad prolixiorem contemplationem vocati, mementote Iesum in Tabernaculo iuxta se vos praestolari, ut in corda vestra illam intimam experientiam suae amicitiae infundat quae sola sensum et plenitudinem vestrae vitae praebere valet.

Vos omnes, christifideles, detegite Eucharistiae donum tamquam lucem et vim pro vestra vita cotidiana in mundo, in singulis professionibus exercendis et in diversis rerum adiunctis. Detegite illud ante omnia ut plane vivatis familiae pulchritudinem et missionem.

Plura denique exspectamus a vobis, iuvenes, dum vobis invitationem renovamus ad Mundialem Iuventutis Diem in urbe Colonia. Sententia selecta — « Venimus adorare eum » (*Mt* 2, 2) — prorsus opportuna videtur ad ostendendum vobis rectum modum vivendi hunc Annum Eucharisticum. Portate, in occursu cum Iesu abscondito sub eucharisticis velis, totum ardorem vestrae aetatis, vestrae spei, vestrae amandi facultatis.

31. Ante oculos nostros obversantur exempla Sanctorum, qui in Eucharistia alimoniam invenerunt pro suo perfectionis itinere. Quotiens ipsi commotionis lacrimas effuderunt ob tanti mysterii experientiam, atque ineffabiles vixerunt horas « sponsalis » laetitiae coram altaris Sacramento! Adiuvet nos praesertim Virgo Sanctissima, quae tota sua vita logicam indolem incarnavit Eucharistiae. « Ecclesia, Mariam respiciens tamquam exemplar, ad eam imitandam etiam in hac eius necessitudine cum Mysterio hoc sanctissimo invitatur ».[26] Panis eucharisticus quem accipimus est caro immaculata Filii: « Ave verum corpus natum de Maria Virgine ». In hoc Anno gratiae Ecclesia, suffulta a Maria, novo ditetur impulsu ad suam missionem implendam et in Eucharistia magis magisque agnoscat fontem et culmen totius suae vitae.

Ad omnes perveniat, gratiam deferens et laetitiam, Apostolica Nostra Benedictio.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Octobris, in memoria Beatae Mariae Virginis a Rosario, anno MMIV, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

IOANNES PAULUS PP. II

[26] Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 53: *AAS* 95 (2003), 469.

LITTERAE APOSTOLICAE «MOTU PROPRIO» DATAE

quibus lex promulgatur de Sanctae Sedis tabulariis.

GIOVANNI PAOLO II

SERVO DEI SERVI DI DIO

A PERPETUA MEMORIA

La cura vigilantissima che i Romani Pontefici hanno sempre mostrato nel conservare e tramandare alle future generazioni la memoria del Pontificato e dell'opera della Santa Sede non solo deve essere mantenuta anche ai giorni nostri, ma anzi conviene che sia accresciuta, specie per ciò che riguarda gli archivi della Sede Apostolica, ovunque si trovino.

Infatti gli archivi della Santa Sede, conservati lungo i secoli in diversi luoghi dell'Urbe e custoditi con metodologie multiformi, secondo le consuetudini dei tempi, sono venuti crescendo ai nostri giorni di numero e di qualità, contemporaneamente allo sviluppo e alle riforme della Curia Romana, ed esigono pertanto una normativa che assicuri il loro retto ordinamento, la congrua conservazione e la buona consultazione per rispondere anzitutto alle esigenze del Romano Pontefice, quindi della stessa Curia Romana e infine dei ricercatori e degli storici che ad essi si rivolgono con sempre maggiore attenzione.

Siamo ben coscienti, d'altra parte, del notevole progresso compiuto in tempi a noi vicini dalla dottrina archivistica, le cui migliori acquisizioni sono divenute patrimonio per molte amministrazioni pubbliche e private di tutto il mondo.

I recenti mezzi informatici, infine, si sono venuti affiancando ai tradizionali strumenti di descrizione e di ricerca in seno agli archivi e le loro notevoli possibilità di sussidio e di ausilio al lavoro archivistico hanno indotto non già a ripensare le consolidate acquisizioni della dottrina archivistica, che restano immutate nella loro comprovata validità, ma a favorirne l'integrazione con le nuove tecnologie stesse, le quali, almeno in alcuni casi, si mostrano quantomai valide per l'ordinamento, la ricerca e la conservazione, sotto nuovi formati, di serie speciali di documenti.

Si osserva, altresì, ai nostri giorni un crescente interesse per la ricerca archivistica nel mondo della cultura; interesse a cui Noi stessi, sull'esempio dei Nostri venerati Predecessori, non siamo rimasti indifferenti. Molte sono,

infatti, le provvidenze assunte dai Pontefici Romani per gli archivi della Santa Sede in tempi remoti e in maniera rilevante nel secolo scorso. Ad esse Noi abbiamo voluto far seguire alcuni atti che crediamo abbiano giovato alla ricerca dei documenti e alla stessa maturazione storiografica di taluni periodi e di particolari aspetti della vita della Chiesa.

Ci pare, pertanto, che sia opportuno intervenire ora con un'apposita Legge che, facendo tesoro delle provvidenze assunte nel passato, ordini in modo univoco e per alcuni aspetti innovatore tutti gli archivi della Santa Sede e delle Istituzioni ad essa collegate, sia che si tratti dei cosiddetti archivi correnti, sia che si tratti più propriamente degli archivi storici.

Abbiamo, pertanto, deliberato di intervenire con una speciale Legge in tutti gli ambiti che riguardano gli archivi della Santa Sede e delle Istituzioni ad essa collegate e nel loro complessivo coordinamento, in modo che vecchi e nuovi Organismi abbiano una norma comune per l'assetto dei loro archivi, sia nell'aspetto del quotidiano lavoro di ordinamento, sia nelle delicate operazioni successive di conservazione e di consultazione.

Speciali compiti di vigilanza, di consulenza e di indirizzo intendiamo poi affidare alla «Commissione Centrale per gli archivi della Santa Sede», istituita con la nuova Legge, in modo che i Superiori dei relativi Organismi, nonché tutti gli Officiali addetti agli archivi abbiano un sicuro punto di riferimento e nel contempo sia assicurata all'intero patrimonio documentario degli Organismi della Santa Sede e delle Istituzioni ad essa collegate una competente gestione.

Le particolari disposizioni della nuova Legge sugli archivi della Santa Sede trovano la loro più piena motivazione nella visione particolare che degli archivi stessi hanno sempre avuto i Romani Pontefici. Noi, infatti, consideriamo il grande patrimonio di fonti storiche custodito negli archivi della Santa Sede alla pari di un prezioso tesoro di testimonianze circa il passaggio della Chiesa nel mondo e nella storia, da trasmettere integro e inalterato alle generazioni future. Per tale motivo non è fuor di luogo parlare, almeno in ambito ecclesiale, di valore pastorale degli archivi ecclesiastici, senza con ciò voler sminuire o alterare la valenza oggettiva delle fonti archivistiche per la più vasta e spassionata scienza storica. In tale visione va compresa la nuova normativa nel suo complesso.

Tutto ciò che è stato stabilito con la nuova Legge, da Noi pubblicata con il presente Motu Proprio, ha pieno e stabile valore per tutti gli Organismi della Santa Sede e delle Istituzioni ad essa collegate, nonostante qualsiasi disposizione contraria, pur meritevole di speciale menzione.

Dato nella Città del Vaticano, il 21 marzo dell'anno del Signore 2005, vigesimo settimo del Nostro Pontificato.

IOANNES PAULUS PP. II

LEGGE SUGLI ARCHIVI DELLA SANTA SEDE

TITOLO I

AMBITO DI APPLICAZIONE E DEFINIZIONI

Art. 1

Ambito di applicazione

1. La presente legge si applica ad ogni archivio e singolo documento di proprietà della Santa Sede.

2. Sono sin dall'origine di proprietà della Santa Sede gli archivi e i singoli documenti dei Sommi Pontefici, del Collegio Cardinalizio, dei Dicasteri, Tribunali, Uffici, Rappresentanze della Santa Sede e delle Istituzioni ad essa collegate, aventi sede in Vaticano ovvero nelle zone extra territoriali o protette da speciali immunità diplomatiche.

3. Sono sottoposti alla stessa disciplina gli altri archivi o singoli documenti pervenuti in proprietà della Santa Sede a seguito di acquisti, donazioni, lasciti, scambi o depositi perpetui.

Art. 2

Definizioni

Ai fini della presente legge si intende per:

Accesso: la possibilità di prendere visione, previa autorizzazione, degli archivi correnti, di deposito e di quelli storici non ancora consultabili, ovvero di singoli documenti in essi conservati, sia per le attività amministrative interne ed esterne alla Santa Sede, sia per la tutela di situazioni giuridicamente rilevanti da parte di chi ne abbia interesse.

Laura, calumniis aerumnisque conflictata, in Deo et Virgine Maria, cui se omnino addixerat, solacium animique firmitudinem repperit et eadem magis magisque debiliorum desertiorumque percipiebat dolores, perculsa potissimum ab indigenis ab omnibus relictis et a Christo distractis. Saepe cogitavit ut se in coenobio claustrali Deo consecraret, sed tunc illud «sitio» percepit Christi cruci affixi esse anhelitum quendam illos ad eum tradendi, qui eundem ignorabant. Animadvertit se a Deo vocari, ut Christi Regnum ad indigenas cunctos deferretur utque filiorum Dei atque civis dignitas illis redderetur.

Anno MCMXIV una cum matre et quinque sociis montes petiit loci *Dabeiba*, ut indigenas inveniret. Quod postea iteratum est. Mox eam comitatae sunt iuvenes audaces, montes scansurae, densissimas silvas invasurae ac flumina decursurae, ut indigenae evangelizarentur. Orta est sic anno MCMXVII Congregatio Sororum B.M.V. Immaculatae et Sanctae Catharinae Senensis.

Laura annorum decursu eximiarum virtutum dedit exemplum. Iuvenis iam animadvertit se a Deo trahi. «Cor meum, aiebat, tamquam tormenti bellici pyrobolus in Deum se iacit». Eius fides, quam assiduis precationibus colere solebat, efficiebat ut Christum in desertioribus, praesertim indigenis, videret. Spectabilis fuit in Eucharistiam eius amor, quem suis filiabus et indigenis inculcabat. Tenerrimum quoque in Virginem Mariam coluit amorem. Mariae nomen tamquam fuit vexillum quod indigenarum cordis ianuam reserabat.

Novissimos vitae annos, fere paralytica, precando transegit et filiabus scribendo, easdemque ad operandum cohortando. Paulo antequam moreretur Lapurdensem Virginem Mariam invisit. Sacramentis roborata de hoc mundo die XXI mensis Octobris anno MCMXLIX demigravit, sanctitatis opinionem non modo relinquens in Columbia, verum etiam in aliis nationibus, quas evangelizationis eius opera attigit. Die XXII mensis Ianuarii anno MCMXCI cum eius virtutes esse exercitae heroum in modum dicerentur, die VII mensis Iulii anno MMIII beatificationis miraculum comprobavimus. Statuimus igitur ut beatificationis ritus die XXV mensis Aprilis anno MMIV Romae perageretur.

Hodie in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iosephi Michalik, Archiepiscopi Premisliensis Latinorum, Alberti Geraldi Jaramillo, Archiepiscopi Medellensis, Ioannis Cardinalis Sandoval Íñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, Severini Cardinalis Poletto, Archiepiscopi Taurinensis, Ignatii Noguer Carmona, Episcopi Onubensis, et Georgii Ferreira da Costa Ortiga, Archiepiscopi Bracarensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustus Czartoryski, Laura Montoya, Maria Guadalupe García Zavala, Nemesia Valle, Eusebia Palomino Yenes et Alexandrina Maria da Costa Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augusti Czartoryski die altera Augusti, Laurae Montoya die vicesima prima Octobris, Mariae Guadalupe García Zavala die vicesima septima Aprilis, Nemesiae Valle die vicesima sexta Iunii, Eusebiae Palomino Yenes die nona Februarii et Alexan-

drinae Mariae da Costa die decima tertia Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MMIV, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 559.627

III

Venerabili Servae Dei Nemesiae Valle Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Heroes esse pulchrum quidem est, melius autem esse bonos...; principium vitae bonitas est ». Una haec tot invenitur inter locutiones quas in scriptis legimus sororis Nemesiae Valle, religiosae sodalis Sororum Caritatis a Sancta Ioanna Antida Thouret, quae videlicet ipsius etiam genus illuminat vitae: bonitas enim quae se quotidianis ostendit in rebus quaeque singulis diebus sese explicat in perpetua fidelitate erga illud propositum: « Dei quaerere gloriam, ceteris adferre laetitiam, pati at numquam pati cogere ».

Nascitur die XXVI mensis Iunii anno MDCCCXLVII Augustae, parentibus Anselmo Valle ac Maria Christina Dalbar, qui baptismi tempore Iuliam appellare eam statuunt apud antiquam aedem Collegiatam sancti Ursi eadem in urbe.

Vitae Iuliae primi anni aguntur intra domus serenitatem quae alterius ortu pueri, Vincentii nempe, est laetata et ubi matris opus quae tabernam vestimentorum administrat atque patris qui actuosissimum commercium

gerit certam quandam praestant prosperitatem. Matre autem vita functa, familiarium curis commendantur orphani.

Undecimum agens annum suam ut perficiat institutionem in Galliam mittitur, scilicet Vesontionem, ad hospitium a Sororibus Caritatis a Sancta Ioanna Antida Thouret procuratum.

Ibi nempe Gallicam linguam bene discit Iulia dum suam eruditionem locupletat atque paratur ad opera feminea, simul praecipua bonitate maturescens quae eam amabilem reddit aliisque devotam. Domum reversa patrem videt ad secundas transiisse nuptias atque ab Augustana urbe ad Pontem Sancti Martini migrasse. Ibi condicionem familiarem difficiliorem repperit ubi non facile simul vivitur. Eam non amplius tolerat frater Vincentius qui idcirco domo aufugit et de quo nihil amplius est compertum. Remanet tamen Iulia ex eiusque sollicitudine studium exoritur id omnino quaerendi quod illi non potest praebere familia, nempe eos respiciendi qui eandem ipsius doloris subeunt experientiam, actus reperiendi qui amorem et tolerantiam et benignitatem erga omnes testantur.

Apud Sancti Martini Pontem etiam Sorores offendit Iulia Vesontionis, filias videlicet Sanctae Ioannae Antidae Thouret. Earum se unam esse voluit. Cum autem consilium pater bonarum nuptiarum exhibuisset, nihil Iulia dubitavit: etenim suam vitam Deo dicatum iri promisit et aliis hominibus; sororem caritatis dumtaxat se esse cupit.

Die VIII mensis Septembris anno MDCCCLXVI Vecellas eam pater comitatur ad Sanctae Margaritae monasterium ubi Sorores Caritatis novitiatum instituerunt. Nova inde pacis ei incipit vita atque laetitiae etiam inter lacrimas propter illam non facilem seiunctionem. Illud quidem agitur ut altiorem cum Deo ipsa ingrediatur coniunctionem, ut se ipsam melius cognoscat suaeque communitatis opus, ut eo abire sit parata quo Deus vocaverit. Laetans hoc intrat Iulia novitatis iter. Quotidie id detegit quod aut amittere aut accipere debet. Haec precatio comitatur eiusque totius vitae passus comitabitur: « Iesu, me priva meipsa atque te me indue. Pro te, Iesu, vivo, pro teque morior ».

Novitiatu rite exacto, novum recipit cum indumento religioso nomen: sororis Nemesiae. Quod nomen est primorum saeculorum martyris. Laetatur inde atque propositum vitae suae efficit: suum nempe testificari amorem erga Iesum usque ad extremum, quocumque pretio in sempiternum, sicut Nemesius ipse fecit martyr. Derthonae apud Sancti Vincentii de Pauli Institutum repperit scholam et educationis sedem, orphanotrophium et eruditionis cursus necnon industriam in paroecia. Haec terra ipsi perapta est ubi bonitatem disseminet. Ubi enim humile est absolvendum opus, dolores sunt leniendi, ubi

difficultas quaedam necessitudines pacificas impedit, ubi fatigatio et aegritudo et paupertas vitam circumscribunt, ibi adest soror Nemesia et ubique auditur versus ille: «O, sororis Nemesiae cor!».

Quadraginta nata annos Antistita communitatis creatur. Perturbatur soror Nemesia, verum hac cogitatione confirmatur: moderatricem esse significat «servire» ideoque poterit se sine limite impendere.

Propositi eius iam describuntur principia: «Festinandus est gradus neque retro respiciendum, sed unica meta contemplanda: Deus solus! Ipsi esto gloria et aliis laetitia; mihi pretium pendendum, pati at numquam cogere. Mecum ipsa aspera ero et omnem caritatem sororibus praebebo: qui traditur amor, unica res superest».

Die X mensis Maii anno MCMIII mane inveniunt orphanae et puellae educandae sororis Nemesiae sibi inscriptum nuntium: «Laeta discedo vosque Virgini Mariae committo... Singulis totius diei momentis vos sectabor». Etenim Derthonam relinquit petitque locum *Borgaro* Taurinensem ubi adulescentularum numerus exspectat ut ea ipsa novo in itinere se comitetur ad plenam videlicet Deo donationem ut in pauperibus illi serviant. Sunt enim noviciae provinciae novae Sororum Caritatis. Sororis autem Nemesiae institutio eadem semper est: bonitatis nempe et tolerantiae, renuntiationis ex amore et patientiae, quae exspectare novit viamque iustam reperire quae singulis congruit. Noviciae quidem meminerunt: «Nos singillatim cognoverat necessitatibus nostris comprehensis; nostram secundum indolem nos singulas tractabat postulabatque id quod nos ad amandum adducere poterat».

Harum vero sententiarum minime est particeps Antistita provincialis, quae ei non dubitat humiliationes inferre, dum etiam postulat ut ratio quaedam multo rigidior et asperior necnon magis prompta et immediata puellis adhibeatur quae religiosam ad vitam comparari debent.

Vitae curriculum sororis Nemesiae tam matris et sororis quam magistrae ad finem extremum devergit cum iam tredecim anni eius ab adventu in oppidum *Borgaro* sunt transacti. Quingentae circiter noviciae in Dei semitis ambulare ab ea didicerunt. Precatio illa quam suam a primis initiis fecerat: «Iesu, me priva meipsa atque te me indue. Pro te, Iesu, vivo, pro teque morior», omnem per vitam cum ea perstitit. Donum novissimum alicuius vitae omnino Amori donatae morte perficitur quae die XVIII mensis Decembris anno MCMXVI intercessit.

Fecit deinceps sanctitatis ipsius celebratio ut beatificationis et canonizationis Causa Augustae Taurinorum institueretur ac Derthonae Processus Informativus ab anno MCMLII ad annum MCMLIII. De Processus dioecesani vali-

ditate decretum die II mensis Aprilis anno MCMLXXXII prodiit deque virtutum heroica ratione die V mensis Iulii anno MMI. Sententia super miro die XX mensis Decembris anno MMIII edita Nobis coram, placuit ut ipsa beatificatio die XXV mensis Aprilis anno MMIV rite perageretur. Hodie propterea in interminatae multitudinis prospectu iuvit Nos sequentem enuntiare sollemniter beatificationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iosephi Michalik, Archiepiscopi Premisliensis Latinorum, Alberti Geraldi Jaramillo, Archiepiscopi Medellensis, Ioannis Cardinalis Sandoval Íñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, Severini Cardinalis Poletto, Archiepiscopi Taurinensis, Ignatii Noguer Carmona, Episcopi Onubensis, et Georgii Ferreira da Costa Ortiga, Archiepiscopi Bracarensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustus Czartoryski, Laura Montoya, Maria Guadalupe García Zavala, Nemesia Valle, Eusebia Palomino Yenes et Alexandrina Mariae da Costa Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augusti Czartoryski die altera Augusti, Laurae Montoya die vicesima prima Octobris, Mariae Guadalupe García Zavala die vicesima septima Aprilis, Nemesiae Valle die vicesima sexta Iunii, Eusebiae Palomino Yenes die nona Februarii et Alexandrinae Mariae da Costa die decima tertia Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Postremo quae his Litteris constituimus, firma et rata in posterum esse volumus quibusvis causis haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MMIV, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 565.225

IV

Venerabili Dei Servae Mariae Ludovicae De Angelis Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Testimonium vita propria Christo reddere et operibus et verbis exsistit peculiare vitae consecratae in Ecclesia et orbe munus» (IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. Post-synodalis *Vita Consecrata,* 109).

Soror Maria Ludovica De Angelis, saeculari nomine Antonina appellata, puella iam Christum secuta est, quem unum ex corde dilexit. Cum vitam consecratam complexa esset, se Evangelio aequavit ipsaque vita operibusque in dolentes et pauperes Redemptoris dilectionem est testata, se potissimum parvulis dicans infirmis.

Dei Serva in oppido S. Gregorii Aquilanae dicionis die XXIV mensis Octobris anno MDCCCLXXX ex agricolarum familia orta est. Cum esset prima natu, matrem in fratribus curandis, in rusticis operibus patrem iuvit. Cum scholam adire non posset, rudimenta litterarum domi alicuius magistrae est adepta.

Perfectiori vitae studens, mense Novembri anno MCMIV novitiatum Congregationis Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia Savonensi in urbe ingressa est, ubi vota nuncupavit. In Argentina eius apostolatus munus explicatum est, quo anno MCMVIII pervenit. Argentopoli in puerorum valetudinario operata est, quod illis temporibus duo lignea cubicula efficiebant, quae veluti prima auxilia habebantur. Initio culina et cella penaria ei sunt demandata. In tali munere sustinendo tantam ostendit peritiam studiumque, ut anno MCMIX valetudinarii dispensatrix nominata sit, quod officium totam per vitam sustinuit. Per aliquod tempus communitatis sororum fuit quoque antistita. Sua industria parvum valetudinarium aestimatissimum honestissimumque in Argentina reddidit.

Anno MCMXXXV renem amisit atque eius valetudo pedetemptim in peius versa est. Nihilominus suam caritatis operam haud extenuavit. Sanatorium pueris curandis tuberculosis ac respirationis difficultatibus affectis Maris Platensi in urbe condidit. Operam dedit ut valetudinarium quam maxime esset acceptabile, pacem concordiamque fovens inter videlicet eos qui in eo operabantur atque sua deditione afficiens cooperatores. Pro sua quoque religiosa communitate adlaboravit.

Suburbana loca evangelizanda curavit et effecit ut Sacri Cordis sacellum in oppido *City Bell* aedificaretur. Per Instituti regulam cotidie servatam ac

per officia ad amussim expleta, evangelicae perfectionis fastigia conscendit, christianis religiosisque virtutibus exercitis.

Firmiter Dei voluntati sese aequavit atque sacra liturgia, precatione, erga Eucharistiam, Sacrum Cor Iesu, Virginem Mariam devotione suam spiritalitatem sustentavit. In Christum dilectio ad continuata opera pro Eius regno gerenda necnon pro corporis spiritusque salute infirmorum eorumque familiis eam compulit. Adflictos est solata, liberalis fuit in sorores cooperatoresque, tantam demonstravit erga aegrotos caritatem ut «Angelus dolentium custos» haberetur. Largiter iis ignovit qui eius administrationis rationes refutabant, atque inter difficultates divinae Providentiae est confisa.

Prudenter, perite, iureque administratorium Valetudinarii munus et communitatis antistitae officium sustinuit. Sobria usque et modesta, ecclesiasticis Superioribus oboedivit, terrestria bona posthabuit, castitatem servavit. Suo in explicando munere mercedem gratiamque non quaeritavit, sed Domini gloriae animarumque saluti studuit.

Morbo gravi correpta, per dolorem magis usque se cum Christo coniunxit, quem totam per vitam adamavit Cuique inservivit, die XXV mensis Februarii anno MCMLXII Eum convenit.

Latam ob sanctitatis famam, Argentopolitanus Archiepiscopus beatificationis canonizationisque Causam incohavit dioecesanam Inquisitionem annis MCMLXXXVII-MCMLXXXIX celebrando. His perfectis iure statutis rebus, Nobis coram die XX mensis Decembris anno MMI Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis itemque die XX mensis Decembris anno MMIII Decretum de miraculo prodierunt. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae die III mensis Octobris anno MMIV ageretur.

Hodie igitur, in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Christophori Lagleize, Episcopi Valentinensis, Aemilii Marcus, Archiepiscopi Tolosani, Renardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, Hectoris Rubén Aguer, Archiepiscopi Platensis, et Theodori de Faria, Episcopi Funchalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Petrus Vigne, Iosephus Maria Cassant, Anna Catharina Emmerick, Maria Ludovica De Angelis et Carolus e Domo Austriae Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Petri Vigne die octava Iulii, Iosephi Mariae Cassant die decima septima Iunii, Annae Catharinae Emmerick die nona Februarii, Mariae Ludovicae De An-

gelis die vicesima quinta Februarii, et Caroli e Domo Austriae die vicesima prima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus plane valere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Octobris, anno MMIV, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 568.004

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

LEOPOLITANA LATINORUM

Canonizationis Beati Iosephi Bilczewski Archiepiscopi Leopolitani Latinorum (1860-1923)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Iosephus Bilczewski natus est die 26 mensis Aprilis anno 1860 in oppido *Wilamowice* Galiciae Occidentalis. Anno 1884 presbyter Archidioecesis Cracoviensis ordinatus est, postea studia perrexit prius Vindobonae, deinde Romae. In patriam reversus vires impendit in apostolatum et in magisterium. Praeceptor exstitit ac rector Leopolitanae Studiorum Universitatis. Anno 1900 Archiepiscopus metropolita electus est Ecclesiae Leopolitanae Latinorum, ubi pastorali fervore eminuit vitaeque sanctimonia. Ad caelestem Patrem transiit die 20 mensis Martii anno 1923.

Die 26 mensis Iunii anno 2001 inter Beatos caelites recensuit eum Summus Pontifex Ioannes Paulus II in urbe Leopoli in Ucraina occasione itineris pastoralis.

Canonizationi eiusdem Beati prospiciens, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam obtulit miram sanationem Iuliani Sołczykiewicz, undeseptuaginta aetatis annos agentis, qui die 11 mensis Iunii anno 2001 ex paxillari domus scala fortuito cecidit. Statim vehementem in regione lumbari persensit dolorem, qui novem menses perstitit et ad totum artum inferiorem dexterum diffusus est; qua de causa patiens apertam musculorum atrophiam subiit. Nec in erecta nec in supina positione diutine manere potuit. Ex radiographicis inspectionibus detectum est columnam vertebralem, ob lapsus sequelam, duabus fracturae laesionibus corripi. Aegrotus variis curationibus pharmacologicis et physiotherapeuticis subiectus est ut eius dolor mitigaretur, sed hoc minime profuit. Ille insuper sectionem chirurgicam recusavit, timens ne valetudinis condicio in deterius verteretur. Medici a cura spem sanandi omnino respuerunt. Sic stantibus rebus, Iulianus ad auxilium divinum per intercessionem Beati Iosephi Bilczewski

fidenter recurrit. Nocte quadam mensis Februarii anni 2002 dolor inopinate evanuit, quapropter aegrotus somnum conciliare potuit et mane sequentis diei crus dexterum ulla absque difficultate movere potuit.

De hoc eventu anno 2003 apud Curiam Bielscensem-Żyviecensem instructa est Inquisitio dioecesana, quam ex iure validam habuit hoc Dicasterium per decretum vulgatum die 12 mensis Decembris eiusdem anni. Consilium Medicorum die 24 mensis Iunii huius anni 2004 declaravit sanationem repentino, perfecte, constanter et ex scientiae legibus inexplicabiliter evenisse. Die 21 subsequentis mensis Septembris Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 9 mensis Novembris eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi, peracta est. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Iosephi Bilczewski, Archiepiscopi Leopolitani Latinorum, videlicet de repentina, perfecta et constanti sanatione Iuliani Sołczykiewicz a « sindrome della cono-cauda equina del midollo post-traumatica da frattura discosomatica D12, associata a spondilolisi traumatica L4-L5 a seguito della caduta accidentale (11.6.2001). Tale situazione ha comportato una sintomatologia invalidante durata nove mesi ed associata a deficit radicolari multipli che interessano 5 radici da L1 a S1 ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

HONOLULUENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Annae Cope (in saec.: Barbarae) Religiosae professae Congregationis Sororum III Ordinis S. Francisci de Syracusis in Statu Neo-Eboracensi (notae uti « Matris Mariae Annae de Molokai ») (1838-1918)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Anna Cope (in saec.: Barbara) orta est die 23 mensis Ianuarii anno 1838 in oppido *Heppenheim* in Germania. Duos annos nata migravit in Civitates Foederatas Americae Septemtrionalis, sedem statuens in urbe *Utica* apud Statum Neo-Eboracensem ubi illius nationis civitatem obtinuit. Ingressa est Congregationem Sororum III Ordinis Sancti Francisci de Syracusis et religiosam emisit professionem anno 1863. Diversa magni ponderis munera exercuit; deinde se contulit in Insulam Molokaianam intra fines dioeceseos Honoluluensis ad curandos aegrotos lepra affectos, quibus eximia caritate et sacrificii spiritu plures per annos inserviit. Ibique piissime in Domino quievit die 9 mensis Augusti anno 1918.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 19 mensis Aprilis anno 2004 declaravit Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroico excoluisse gradu.

Ad eius beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Dicasterii porrexit coniectam miram sanationem cuiusdam puellae de Syracusis, quae die 11 mensis Augusti anno 1992, quattuordecim annos nata, de magnae molis tumore in suo ovario sinistro certior facta est. Die 14 mensis Augusti sectionem chirurgicam subire debuit. Puella subiecta est polychemotherapiae, statim tamen diversae ortae sunt implicationes. Die 3 mensis Decembris eiusdem anni peracta est illi paracentesis, quae iterum atque iterum renovata est. Inde provenit insufficientia functionalis varia vitalia membra afficiens (insufficientia scilicet renalis, pulmonaris, haematologica, hepatica, gastrointestinalis), quamobrem infirma ad efficaciorem curationem transire debuit. Valetudinis statu in dies ingravescente, medici infaustam prognosim edixerunt.

Cum clinica condicio omnem sanitatis spem excederet, die 3 mensis Ianuarii anno 1993 mater puellae, simul cum quibusdam Sororibus III Ordinis Sancti Francisci de Syracusis aliisque christifidelibus, caeleste impetrare coepit auxilium per intercessionem Matris Mariae Annae Cope, cuius pars reliquiarum apposita est corpori iuvenis, quae die 17 mensis Ianuarii, praeter

omnem opinionem medicam, se recipere coepit, ad integram celeriter sanationem perveniens.

Qua super sanatione, quae statim mira est habita, Curia Syracusensis annis 1998-2001 Inquisitionem dioecesanam instruxit, cuius iuridica auctoritas approbata est ab hac Congregatione per decretum quod vulgavit die 21 mensis Septembris anno 2001. Consilium Medicorum in sessione diei 29 mensis Ianuarii huius anni 2004 declaravit sanationem rapidam fuisse ratione habita de praegravibus implicationibus postoperatoriis, cum inopinabili deflexione a statu clinico diei 17 mensis Ianuarii anno 1993; addidit insuper sanationem perfectam fuisse, absque residuis, permanentem et ex scientia inexplicabilem. Die 15 mensis Iulii huius anni 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 9 insequentis mensis Novembris Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Em.mo Cardinali Augustino Cacciavillan, habita est. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Annae Cope (in saec.: Barbarae), Religiosae professae Congregationis Sororum III Ordinis S. Francisci de Syracusis in Statu Neo-Eboracensi (notae uti «Matris Mariae Annae de Molokai»), videlicet de rapida, perfecta ac permanenti sanatione praedictae puellae a «gravissime complicazioni postoperatorie pluriorgano, secondarie alla neoplasia maligna e alla chemioterapia».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

RHEGINENSIS-BOVENSIS

Canonizationis Beati Caietani Catanoso Sacerdotis dioecesani et Parochi Fundatoris Congregationis Sororum Veronicarum a Sacro Vultu (1879-1963)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Caietanus Catanoso in pago vulgo *Chorio di San Lorenzo,* Archidioecesis Rheginensis, natus est die 14 mensis Februarii anno 1879. Ordinatus presbyter anno 1902, pastorali ministerio totis se dedit viribus; parochi enim munus exercuit in loco *Pentidattilo,* parvo montuosae Calabricae regionis vico, ac deinde in ecclesia Sanctae Mariae a Purificatione ipsa in urbe Rheginensi. Canonicus quoque exstitit paenitentiarius ecclesiae Cathedralis, moderator spiritualis seminarii archidioecesani, cappellanus apud Foederata Nosocomia, atque in variis institutis religiosis confessarius. Condidit insuper Congregationem Sororum Veronicarum a Sacro Vultu, quam in Ecclesiae famulatum prudenter rexit. Meritis onustus et diffusa sanctitatis fama circumdatus, die 4 mensis Aprilis anno 1963 obviam Domino ivit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 4 mensis Maii anno 1997 in numerum Beatorum rettulit eum.

Ad canonizationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam submisit miram sanationem, intercessioni Beati Caietani adscriptam. Casus respicit dominam Annam Pangallo, quae aestivo tempore anni 2000 pemphigo vulgari est correpta. Postero tempore, nempe die 29 mensis Decembris anno 2002 dolores persensit polyarthriticos cum febri et vomitione biliari. Ex clinicis inspectionibus, peractis in nosocomio loci *Palmi* et urbis Rhegii Iulii, quo excepta est die 2 mensis Ianuarii anno 2003, detecta est praesentia meningitidis meningococcicae cum gravibus indiciis meningeae irritationi propriis. Praeterea diabete et arteriarum hypertensione affecta erat. Sequentibus diebus infirma valde est aggravata ad statum veternosum adveniens. Mane diei 9 mensis Ianuarii edicta est prognosis infausta quoad vitam, quae paucis horis exstingui videbatur. Interea familiares, Sorores Veronicae a Sacro Vultu, nonnulli presbyteri ac complures fideles iam die 2 mensis Ianuarii divinum invocare inceperant auxilium per intercessionem Beati Caietani. Primis horis postmeridianis diei 9 mensis Ianuarii, praeter omnem praevisionem medicam, domina Anna Pangallo se reficere coepit ac celeriter plenam recuperavit sanitatem.

De hac sanatione, quae statim mira est aestimata, Archiepiscopus Rheginensis-Bovensis anno 2003 instruxit Inquisitionem dioecesanam, cuius iuridicam auctoritatem agnovit hoc Dicasterium per decretum editum die 14 mensis Novembris anno 2003. Consilium Medicorum, in sessione habita die 1 mensis Aprilis huius anni 2004, asseveravit sanationem celerem fuisse, perfectam, perseverantem, absque residuis, simul cum pemphigi sanatione, et ex scientiae legibus inexplicabilem. Die 25 mensis Iunii eiusdem anni Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est, cum porro die 19 subsequentis mensis Octobris Patres Cardinales et Episcopi, Exc.mo D.no Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo emerito Calaritano, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Caietani Catanoso, Sacerdotis dioecesani et Parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Veronicarum a Sacro Vultu, videlicet de celeri, perfecta ac perseveranti sanatione dominae Annae Pangallo a « meningo-encefalite da Neisseria Meningitidis con Pemfigo, diabete ed ipertensione arteriosa ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A. D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PREMISLIENSIS LATINORUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Bronislai Markiewicz Sacerdotis Fundatoris Congregationum Sancti Michaëlis Archangeli (1842-1912)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Bronislaus Markiewicz natus est die 13 mensis Iulii anno 1842 in loco v.d. *Pruchnik* apud Premisliam, tum temporis intra fines Austro-Hungarici imperii, nunc in Polonia. Sacro presbyteratus Ordine anno 1867 insignitus, in nonnullis locis primum vicarius cooperator, deinde parochus ministerio pastorali operam dedit idemque in Seminario Maiori Premisliensi Latinorum docuit. Anno autem 1887 Augustae Taurinorum professionem religiosam in Societate Sancti Francisci Salesii, quam Sanctus Ioannes Bosco fundaverat, emisit. Poloniam reversus, praecipue adulescentibus pauperibus orphanisque efformandis operam navavit. Cuius rei gratia Congregationes instituit virorum et virginum Sancti Michaëlis Archangeli, quae post Fundatorem die 29 mensis Ianuarii anno 1912 vita functum canonice approbatae sunt.

Quem quidem Servum Dei die 2 mensis Iulii anno 1994 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationis intuitu, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessioni tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quae quidem res pertinet ad Romanum Włodarczyk, sacerdotem Congregationis Sancti Michaëlis Archangeli, qui die 31 mensis Iulii anno 1994, dum Missam celebrat, impedimenta loquelae et motuum dexterorum artuum coepit sentire. Qui igitur, cum postridie loquelae artuumque usum amisisset mentisque perturbatae indicia proferret, subsequenti die 2 mensis Augusti Polyclinico Voivodali Torunensi est receptus, diagnosi posita de hemiplegia dextera cum aphasia motoria. Die autem 14 mensis Septembris ille in sedem membris redintegrandis municipalis eiusdem urbis valetudinarii transvectus est, cui porro diagnosis dicta est de thrombosi cerebrali, hypertensione arteriarum, myocardiopathia angiogena subcompensata, arteriosclerosi oblitteranti artus inferioris dexteri, obesitatis bronchitisque chronicae.

Condiciones aegroti graves exstabant, adeo ut, ex sententia medici primarii valetudinarii, recuperatio functionalis vix fieri posset; aphasia tantum regressa erat. Interea inde a die 2 mensis Augusti aegrotus ipse eiusque religiosa communitas necnon paroecia, in qua suum ipse ministerium exercebat, multique alii alibi, tum singuli tum communiter, Servum Dei coeperant orare ad sanitatis recuperationem a Domino impetrandam, medicis curantibus quoque Sororibusque infirmorum ministrabus precationes cum illis communicantibus. Die autem 23 mensis Septembris, praeter omnem provisionem medicorum, aegrotus meliore coepit esse valetudine, deambulationem motusque gradatim recuperans, adeo ut die 21 mensis Octobris, cum e valetudinario est dimissus, sanatus per se solus, nempe baculo orthopaedico fultus, tum per iter planum tum scalas ascendens gradi valeret.

Qua quidem de sanatione Episcopus Torunensis annis 1996-1997 Inquisitionem dioecesanam instruxit, cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 21 mensis Novembris anno 2003 latum. Consilium autem Medicorum, in sessione die 22 mensis Aprilis huius anni 2004 habita, agnovit sanationem exstitisse celerem, perfectam, stabilem eandemque sine reliquatis infirmantibus atque scientifice inexplicabilem. Die 25 mensis Iunii eiusdem anni Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris habitus est, cum porro subsequenti die 19 mensis Octobris Patres Cardinales et Episcopi, Em.mo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka, Causae Ponente, Sessionem Ordinariam celebrarent. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Bronislai Markiewicz, Sacerdotis, Fundatoris Congregationum Sancti Michaëlis Archangeli, videlicet de celeri, perfecta ac stabili sanatione sacerdotis Romani Wlodarczyk, ab « ictus cerebrale con emiplegia destra ed afasia motoria in soggetto con vascolopatia aterosclerotica generalizzata ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

LEOPOLITANA LATINORUM

Canonizationis Beati Sigismundi Gorazdowski Sacerdotis dioecesani Fundatoris Congregationis Sororum S. Ioseph (1845-1920)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Sigismundus Gorazdowski die 1 mensis Novembris anno 1845 natus est *Sanochiae*, dioecesis Premisliensis Latinorum, in Polonia. Sacro presbyteratus Ordine anno 1871 insignitus, summa pastorali caritate operam navavit animarum saluti consulens. Plurima promovit opera in bonum sacerdotum, iuvenum, infirmorum et pauperum, pro quibus condidit Congregationem Sororum Sancti Ioseph. Perutilem exaravit catechismum ad populum et novum instituit diarium. Piissime in Domino obiit die 1 mensis Ianuarii anno 1920.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, occasione pastoralis visitationis suae in Ucrainam, die 26 mensis Iunii anno 2001 in numerum Beatorum eum rettulit.

Mentem intendens in canonizationem, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam miram sanationem proposuit iuvenis Roxanae Romek, quae in Polonia die 20 mensis Iulii anno 2002 infortunio raedario est implicata. Medicus qui ipso in loco eam examinavit advertit amissionem conscientiae, cranii thoracisque trauma, multiplicem fracturam costalem, fracturam claviculae, tachypnoeam et suspectam condicionem pneumothoracicam. Patiens in valetudinarium statim translata est, ad sedem efficacioris curae, ubi intubata est et subiecta ventilationi clinice vigilatae. Praeter haemorrhagiam bronchopulmonarem, ortam ob thoracis

compressionem, apparuit status pneumothoracicus bilateralis, qui dilapsus est per thoracocentesim et expurgationem inter duas pleuricas cavitates. Postea accesserunt sive circulatoria cordis cessatio sive collapsus haemorrhagicus. Tunc variae peractae sunt sanguinis transfusiones. Extra mechanicam ventilationem effecta est tracheotomia. Gravibus attentis condicionibus aegrotae, quae etiam correpta est bronchopulmonitide bilaterali cum statu septico et hyperpyrexia, omissus est omnis interventus chirurgicus reparator. Prognosis quoad vitam et quoad valetudinem perinfausta edicta est.

Die 20 sequentis mensis Augusti Sorores Congregationis Sancti Ioseph aliique christifideles, sive singillatim sive coniunctim, divinum auxilium invocare coeperunt per intercessionem Beati Sigismundi. Illo ipso die condicio valetudinis iuvenis aegrotae, hactenus stabilis, celeriter convaluit ac brevi tempore sanatio perfecta exstitit.

De hac sanatione apud Curiam Cracoviensem anno 2003 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam validitatem agnovit haec Congregatio per decretum editum die 12 mensis Decembris eiusdem anni. Consilium Medicorum, in sessione die 24 mensis Iunii huius anni 2004 congregatum, declaravit sanationem celerem fuisse quatenus attinet ad peculiarem implicationem conspectus clinici post-traumatici; perfectam eo sensu quod residua evanuerunt; perseverantem, et ex scientiae praeceptis inexplicabilem. Die 21 subsequentis mensis Septembris Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 16 mensis Novembris eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum peracta est, Causae Ponente Em.mo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Sigismundi Gorazdowski, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Sancti Ioseph, videlicet de celeri, perfecta ac perseveranti sanatione Roxanae Romek, a « grave trauma toracico con fratture costali multiple, pneumotorace bilaterale, shock emorragico e stato anossico, insufficien-*

za respiratoria accentuata e protratta, arresto cardiocircolatorio, sopravvenuta infezione polimicrobica in sede broncopolmonare, con immediato reale pericolo di vita che si prolungava durante tutto il periodo di degenza in terapia intensiva fino al 20 agosto 2002 ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MEDIOLANENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Biraghi Sacerdotis dioecesani Fundatoris Instituti Sororum a Sancta Marcellina (1801-1879)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Aloisius Biraghi die 2 mensis Novembris anno 1801 ortus est in oppido vulgo *Vignate,* Archidioecesis Mediolanensis. Sacro presbyteratus Ordine anno 1825 insignitus, incubuit sacrorum alumnis erudiendis in Seminariis Modiciano et Sevesensi; deinde in Seminario Maiore Mediolanensi munus exercuit moderatoris spiritus, ac tandem doctor renuntiatus est Bibliothecae Ambrosianae. Ad puellas instruendas condidit Congregationem Sororum a Sancta Marcellina. Deo, Ecclesiae civilique cultui diligenter ac sapienter inserviit. De hac vita piissime abiit die 11 mensis Augusti anno 1879.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 20 mensis Decembris anno 2003, agnovit Servum Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroico in gradu esse exsecutum.

Ad eius beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam porrexit miram sanationem Sororis Paschalinae Calvi, quae anno 1991, quattuor et quinquaginta aetatis annos agens, cruciatus in dextero crure pati coepit cum functionis deminu-

tione. Antiphlogisticae curationes ad nihilum profuerunt; immo dolores graviores reddebantur. Ex radiologicis inspectionibus anno 1993 peractis detectus est primitivus vertebrarum tumor, medullam spinalem opprimens. Die 17 mensis Novembris eiusdem anni infirma chirurgicae sectioni subici debuit, tumor tamen ex integro non est ablatus. Ex histologica investigatione conclusum est agi de osteoblastomate benigno. Ineunte sequenti mense Decembri graves implicationes postoperatoriae sunt ortae. Prius prodiit crisis hypertensiva, cui deinde paraplegia addita est in inferioribus artubus cum sphincterum et vesicae neurologicae occlusione; quapropter infausta edicta est prognosis quoad valetudinem. Infirma igitur in hospitium translata, nullum faventis progressionis signum ostendebat. Interea Sorores a Sancta Marcellina divinum auxilium invocare coeperant per intercessionem sui Conditoris, cuius reliquiae positae sunt super lectum Sororis Paschalinae, quae, praeter omnem medicam praevisionem, mane diei 8 mensis Ianuarii anno 1994 celeriter ex suis adversis valetudinis condicionibus convalescere coepit.

De casu, qui mirus iudicatus est, apud Curiam Mediolanensem anno 1998 Inquisitio dioecesana instructa est, cuius iuridicam vim agnovit hoc Dicasterium per decretum vulgatum die 24 mensis Martii anno 1999. Consilium Medicorum in sessione peracta die 4 mensis Decembris anno 2003 asseruit sanationem celerem quoad gravitatem pathologiae neurologicae, perfectam, constantem et ex scientia medica inexplicabilem fuisse. Die 20 mensis Aprilis huius anni 2004 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 5 sequentis mensis Octobris congregati sunt Patres Cardinales et Episcopi, Ponente Causae Exc.mo D.no Aloisio Dossena, Archiepiscopo titulo Carpitano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Aloisii Biraghi, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Instituti Sororum a Sancta Marcellina, videlicet de celeri, perfecta et constanti sanatione Sororis Paschalinae Calvi ab « osteoblastoma vertebrale con compli-*

canza midollare vascolopatica nel decorso post-operatorio, con paraparesi, paralisi degli sfinteri e disturbi della sensibilità a livello toracico ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

GHARDAIENSIS IN SAHARA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Caroli De Foucauld (dicti Caroli a Iesu) Sacerdotis dioecesani (1858-1916)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Carolus De Foucauld die 15 mensis Septembris anno 1858 *Argentorati* in Gallia e christianis parentibus natus est. Iuvenis fidem amisit, at anno 1886 ad Deum rediit, cui statim suam vitam devovit. Anno 1901 sacerdotio auctus est. Vitam gessit in paupertate, humilitate et contemplatione, de Evangelio apud christianos, hebraeos et muslimos testimonium reddens omnesque diligens tamquam fratres. Absconditam vitam Nazarethanam Iesu imitans, in Saharae gremio, in loco *Tamanrasset*, commorari voluit, ut inter incolas vulgo « Tuaregs » amorem Dei sereret. A praedonibus die 1 mensis Decembris anno 1916 interemptus est.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 24 mensis Aprilis anno 2001 Carolum De Foucauld virtutes theologales, cardinales eisque adnexas gradu heroico excoluisse declaravit.

Ad beatificationem quod attinet, Postulatio Causae iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem proposuit, eiusdem Servi Dei intercessioni adscriptam. Eventus enim respicit Ioannam Citeri Pulici, quae die 15 mensis Iunii anno 1981, unum et quadraginta aetatis annos agens, Mediolani mastectomiam integram dexteram subiit, eo quod afficiebatur carcinomate duttale infiltrante, exiguae mensurae et abs-

que lymphonodis metastaticis. Post interventum apparuit lymphoedema in brachio dextero. A mense Octobri anni 1983 infirma mulier vexari coepta est doloribus, qui ad thoracem et spinam extendebantur. Ex clinicis inspectionibus mense Ianuario anno 1984 peractis detectae sunt fracturae variae diversis in costis. Aegrota biopsiae osseae subici noluit. Medici, huiusmodi maxime experti, osteolyticas costarum laesiones iudicaverunt esse metastases, quae comparuerunt post duodetriginta menses a peracta mastectomia. Antiblastica therapia prorsus exclusa est, quoniam neoplasia nimis progressa videbatur, unde prognosis edicta est infausta quoad vitam.

Interea, a mense Ianuario anni 1984 coniux aegrotae summa cum fiducia auxilium divinum invocare coeperat per intercessionem Servi Dei Caroli De Foucauld, quem peculiari prosequebatur cultu. Alii quoque sociati sunt ei in precibus fundendis. Die 10 mensis Martii anno 1984 morbus acutissimum attigit stadium, attamen, praeter omnem medicam praevisionem, ex radiographiis die 21 eiusdem mensis peractis repertum est multiplices costarum fracturas, quas supra diximus, ad solidationem in dies procedere. Sequentes inspectiones confirmaverunt sanationem iam patratam, de qua Curia Mediolanensis dioecesanam instruxit Inquisitionem, cuius iuridicam auctoritatem hoc Dicasterium approbavit, decretum edens die 15 mensis Maii anno 2003. Consilium Medicorum in sessione diei 24 mensis Iunii anno 2004 declaravit sanationem celerem, perfectam, perseverantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 26 mensis Octobris eiusdem anni habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 7 sequentis mensis Decembris Sessio Ordinaria acta est Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, affirmativum responsum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Caroli De Foucauld (dicti Caroli a Iesu), Sacerdotis dioecesani, videlicet de celeri, perfecta ac perseveranti sanatione Ioannae Citeri Pulici a « metastasi ossee costali multiple bilaterali da cancro duttale infiltrante*

del seno destro, asportato con mastectomia radicale 28 mesi prima della comparsa delle lesioni costali ».

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PAMPILONENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Ascensionis a Corde Iesu (in saec.: Florentinae Nicol Goñi) Confundatricis et Primae Superiorissae Generalis Missionariarum Dominicanarum a SS.mo Rosario (1868-1940)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Ascensio a Corde Iesu (in saec.: Florentina Nicol Goñi) die 14 mensis Martii anno 1868 nata est in oppido vulgo *Tafalla,* Archidioecesis Pampilonensis in Hispania. Adscripta inter Moniales Dominicanas a Sancta Rosa in urbe *Osca*, praeceptrix exstitit et moderatrix collegii prope monasterium. In Peruviam vocata ut missionalem explicaret actionem, sociam praestitit operam Episcopo Raimundo Zubieta ad condendam Congregationem Missionariarum Dominicanarum a SS.mo Rosario, cuius sapiens fuit Moderatrix generalis. Pampelone piissime obiit die 24 mensis Februarii anno 1940.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 12 mensis Aprilis anno 2003 declaravit Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroico gradu excoluisse.

Beatificationi prospiciens, Postulatio Causae iudicio Congregationis de Causis Sanctorum assertam proposuit miram sanationem iuvenis Fortunati Quispe Huanjatupa, qui, die 19 mensis Martii anno 1959, undeviginti aetatis

annos agens, dum laboraret quadam in serrandi officina, grave pertulit infortunium, quo crus sinistrum genus tenus contusum est, multipliciter sauciatum cum effuso sanguinis profluvio. Tunc iuvenis, collapsu affectus, inconscius et in hypothermico statu, ad urgentis curationis sedem est translatus. Condicio cruris sinistri gradatim in peius progrediebatur; die 21 eiusdem mensis indubia gangraenae madidae vaporosae signa exhibebat. Sequenti die, praepostero tamen tempore, amputatus est artus quasi ad inguinem. Limes amputationis erat sub linea gangraenae, quae quoque ultra diffusa erat. Inde sectio chirurgica nonnisi mitigatoria iudicata est, quoniam regio gangraenosa funditus auferri non potuit. Aberat igitur omnis spes patientem servandi, attenta tum celeri diffusione gangraenae vaporosae, tum penuria medicamenti antibiotici idonei, tum deteriore condicione infirmi in periodo postoperatoria. Interea Missionaria quaedam Dominicana a Sanctissimo Rosario invocare coeperat intercessionem Servae Dei Ascensionis a Corde Iesu, cuius reliquias apposuerat corpori aegrotantis, postquam eas illi dederat osculandas. Mane diei 23 mensis Martii medici detexerunt generales condiciones infirmi evidenter convalescere, vulnera enim fere omnino purgata videbantur, fissura quasi exstincta, secretiones admodum deminutae. Sequenti die iuvenis extra periculum iudicatus est. Sanatio ad perfectionem celeriter pervenit.

De hoc eventu anno 1975 apud Vicariatum Apostolicum Portus Maldonadi instructus est Processus Cognitionalis, cuius iuridicam auctoritatem adprobavit hoc Dicasterium decretum vulgans die 31 mensis Martii anno 1995. Consilium Medicorum in sessione congregatum die 4 mensis Decembris anno 2003, sanationem edixit celerem fuisse, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem. Die 26 mensis Martii huius anni 2004 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 5 sequentis mensis Octobris peracta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit, ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congre-

gationis ceterisque de more convocandis eisque astantibus Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Ascensionis a Corde Iesu (in saec.: Florentinae Nicol Goñi), Confundatricis et Primae Superiorissae Generalis Missionariarum Dominicanarum a SS.mo Rosario, videlicet de celeri, perfecta et constanti sanatione iuvenis Fortunati Quispe Huanjatupa a « gangrena gassosa post-traumatica con shock ipovolemico e settico irreversibile, con mionecrosi progressiva dell'arto inferiore sinistro fino all'addome, per infortunio lavorativo ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MONASTERIENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Clementis Augustini von Galen S.R.E. Cardinalis Episcopi Monasteriensis (1878-1946)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Clemens Augustinus von Galen natus est die 16 mensis Martii anno 1878 in castello v. d. *Dinklage* apud Monasterium in Germania. Post sacram presbyteralem ordinationem anno 1904 receptam, primum vicarius cooperator, deinde vero parochus ministerio pastorali operam impendit. Cum Episcopus Monasteriensis anno 1933 electus esset, plebi suae zelanter sapienterque famulatus est eandemque contra socialismi nationalis errores strenue defendit, quippe pro bono gregis sui comprehendi necarique periclitans. Qui cum a Pio XII Pontifice Maximo die 18 mensis Februarii anno 1946 Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus esset, tamen

subsequenti die 22 mensis Martii peritonite laborans sancte in Domino obdormivit.

Quem quidem Servum Dei die 20 mensis Decembris anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationis intuitu, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servi Dei intercessioni tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quae quidem res pertinet ad adulescentulum Henricum Nahak, qui, quattuordecim annos natus, die 18 mensis Ianuarii anno 1995 valetudinario Atambuensi in Timoria Orientali receptus est, symptomatologiam febris cum nausea et vomitu exhibens, quamobrem diagnosis illi ponebatur de malo aere suspecto. Cum autem meliore coepisset esse valetudine, die 20 mensis Ianuarii adulescentulus, post therapiam contra morbum minime efficacem adhibitam, dimissus est. Sed, cum eodem die vesperi usitata symptomata rursum se obtulissent eademque tunc diffusis sub abdomine cruciatibus comitantibus, aegroto iterum eodem valetudinario recepto diagnosis dicta est de crudescente colicae appendicis inflammatione. Tum medicus, quippe qui haud satis peritus exsisteret exiguaque valetudinarii instrumenta cognosceret, censuit adulescentulum in valetudinarium instructius, procul tamen ab Atambua, transvehendum. Pater autem aegroti, itineris incommoda longumque spatii intervallum comperiens, clinicum rogavit ut quovis modo sectionem chirurgicam susciperet, ne tempus ulterius tereretur inutiliter. In ipso autem actu sectionis reperta est colica appendix perforata, pure in cavo abdominali crescente: nam peritonites diffusa exorta erat. Appendice itaque intestinorumque parte asportatis, cursus rerum sectionem chirurgicam subsequens minime tranquille processit. Paucis enim post diebus ileus paralyticus, dolores abdominales, vomitus febrisque exoriebantur; vulnus autem corruptum atrum umorem fetidumque purgabat. Aegrotus exigua valetudine magnaque spirandi difficultate utebatur, quapropter prognosis edebatur nempe quoad vitam reservatissima.

Die autem 24 eiusdem mensis Ianuarii Soror quaedam e Congregatione Missionariarum Servarum Spiritus Sancti, quae in valetudinario illo infirmorum ministrae munere fungebatur, opem divinam imploravit per intercessionem Servi Dei; cuius cum imago quaedam vulneri alligato imposita esset aegrotantis, qui una cum suis parentibus orationi Sororis se sociaverat, subsequenti die ille manifeste morbo levabatur, quippe cruciatibus abdominalibus febrique dilapsis ipsoque sanitatem celeriter et perfecte recuperante.

Quo de casu apud Curiam Atabuensem annis 1998-2001 Inquisitio dioecesana instructa est, cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 30 mensis Novembris anno 2001 latum. Consilium autem Medicorum, in sessione die 20 mensis Ianuarii huius anni 2004 habita, agnovit sanationem celerem, perfectam, stabilem, sine reliquatis, eandemque scientifice inexplicabilem exstitisse. Die 10 mensis Iulii anno 2004 habitus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 16 subsequentis mensis Novembris Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo D. Paulo Iosepho Cordes, Archiepiscopo tit. Naissitano, Sessio Ordinaria facta est. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum prolatum est affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Clementis Augustini von Galen, S.R.E. Cardinalis, Episcopi Monasteriensis, videlicet de celeri, perfecta ac stabili sanatione Henrici Nahak, ab « appendicite acuta retrocecale, perforata con peritonite prima localizzata e poi diffusa, verosimilmente iatrogena ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VISENSIS

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Ritae Amatae a Iesu (in saec.: Ritae Lopes de Almeida) Fundatricis Instituti Sororum a Iesu Maria et Ioseph (1848-1913)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Rita Amata a Iesu (in saec.: Rita Lopes de Almeida) nata est die 5 mensis Martii anno 1848 in pago v. d. *Casalmendinho*, intra fines Dioecesis Visensis in Lusitania. Anno 1880 ipsa collegium pauperibus puellabus suscipiendis aperiens fundamenta iecit Instituti Sororum a Iesu Maria et Ioseph. Quod quidem Opus, licet multis difficultatibus supervenientibus, in plurima loca diffusum est adversisque rei publicae temporibus in Brasiliam commigrans superesse valuit. Serva Dei autem die 6 mensis Ianuarii anno 1913 in patria ex hoc mundo transiit, firma fama sanctitatis circumfusa.

Quam quidem die 20 mensis Decembris anno 2003 Summus Pontifex Ioannes Paulus II virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse declaravit.

Beatificationis intuitu, Postulatio Causae adsertam quandam miram sanationem, ipsius Servae Dei intercessioni tributam, huic Congregationi permisit iudicandam. Quae quidem res pertinet ad D.nam Ismeriam Taveira Cintra, quae die 16 mensis Maii anno 1988 valetudinario Paulopolitano in Brasilia recepta est, diagnosi posita de occlusione interanea ex morbo, qui a *Chagas* dicitur, effecta deque megacolon. Sectio chirurgica, quae subsequenti die 9 mensis Iunii ad megacolon removendum facta est, minus prospere cessit, ideo quia multiplices septici generis sequelae sunt exortae. Primum enim morbus coepit crudescere per apostema pelvicumrectale, quod mense Decembri anno 1988 chirurgice est purgatum; deinde vero eruperunt fistulae enterocolicae cum statu septico abdominali, cruciatibus extremoque virium defectu. Interea gravius cardiacum impedimentum se ostenderat cum brancae interclusione et insufficientia coronaria. Cum autem cruciatus abdominales transitusque intestinalis impedimenta permanerent, die 22 mensis Martii anno 1989 colectomia cum colostomia fieri oportuit. In cursu tamen rerum sectionem chirurgicam subsequenti orta est peritonites diffusa cum processu septico, qui vix coërceri posset, cumque aegrotae virium hebetatione. Casus nempe desperatus definiebatur, adeo ut medicus curans die 27 eiusdem mensis vesperi D.nam Ismeriam brevi post tempore obituram provideret; quae tamen iam ante diem 22 mensis Martii opem divinam per intercessionem

Servae Dei coeperat invocare. Sic praeter omnem provisionem medicorum sub mane diei 28 mensis Martii mulier manifeste coepit meliore esse valetudine dieque 6 mensis Aprilis e valetudinario est dimissa. Mense tandem Augusti anno 1990 colostomia resarcita est.

Cum igitur melioratio illa, quae nocturno tempore inter dies 27 et 28 mensis Martii anno 1989 intervenerat, pro miraculo haberetur, Episcopus Visensis anno 1998 Inquisitionem dioecesanam instruxit, cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 19 mensis Februarii anno 1999 latum. Consilium autem Medicorum, in sessione die 11 mensis Martii huius anni 2004 habita, agnovit sanationem exstitisse celerem — nempe post tempus quo, sectione chirurgica die 22 mensis Martii anno 1989 facta, morbus cruduit — eandemque perfectam, stabilem atque scientifice inexplicabilem. Die 7 mensis Septembris subsequentis Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 9 mensis Novembris eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum habita est, Ponente Causae Exc.mo D. Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Ritae Amatae a Iesu (in saec.: Ritae Lopes de Almeida), Fundatricis Instituti Sororum a Iesu Maria et Ioseph, videlicet de celeri, perfecta et stabili sanatione Isimeriae Taveira Cintra a « megacolon chagasico con severe complicanze settiche intestinali e peritoneali ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PORTUENSIS - S. RUFINAE

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae Curcio (in saec.: Rosae) Fundatricis Congregationis Carmelitarum Missionariarum S. Teresiae a Iesu Infante (1877-1957)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Serva Maria Crucifixa Curcio (in saec.: Rosa) nata est die 30 mensis Ianuarii anno 1877 in oppido vulgo *Ispica*, intra fines dioecesis Netensis in Italia. Patris Laurentii van Eerenbeemt, O.C., auxilio sustentata, in urbe *Punico* (vulgo *Santa Marinella*), dioecesis Portuensis-Sanctae Rufinae prope Romam, Congregationem condidit Carmelitarum Missionariarum Sanctae Teresiae a Iesu Infante. Serva Dei, amorem contemplationis cum apostolico socians ardore, animas Christo lucrifacere potissimum sibi proposuit. Meritis ditata et sanctitatis fama exornata, die 4 mensis Iulii anno 1957 animam Domino reddidit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 20 mensis Decembris anno 2002 declaravit Servam Dei Mariam Crucifixam Curcio virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroice excoluisse.

Ad beatificationem quod attinet, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum proposuit coniectam miram sanationem fabri caementarii Ioannis Azzarelli, qui anno 1975 ex diagnosi novit se quadam nova affici excretione in clavicula sinistra. In valetudinarium Bononiae exceptus, sectionem chirurgicam subiit die 9 mensis Februarii anno 1976. Unde detecta est massa magnae molis in clavicula, quae in circumiacentes texturas paulatim influebat. Tumoris tamen ablatio integra non exstitit. Ex histologica inspectione conclusum est agi de fibrosarcomate tertii gradus. Infausta revelabatur prognosis quoad vitam. Recidivae brevi tempore esse adventurae praevidebantur. Etenim, sequenti mense Maio neoplasia ad propinquas regiones blandas extendebatur. Die 20 mensis Iulii rursus peractus est interventus chirurgicus, quo reliqua pars claviculae, pars sterni et primae costae sunt ablatae. Cum maligna perseveraret recidiva neoplasiae mesenchymalis penitus indistinctae nec non in deterius rueret, vanum ductum est ullam therapiam medicam vel radiotherapiam ulterius exsequi. Quapropter, omni dempta spe sanationis, infirmus e valetudinario dimissus est. Interim ad Servam Dei Mariam Crucifixam preces effundebantur ut a Deo sanatio-

nem impetraret Ioannis, qui, extra omnem clinicam praevisionem, adeo celeriter ac perfecte convaluit ut brevi tempore opus instaurare posset.

De hac sanatione apud Curiam Portuensem-Sanctae Rufinae annis 1991-1992 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica auctoritas per huius Dicasterii decretum die 18 mensis Februarii anno 1994 approbata est. Consilium Medicorum die 30 mensis Octobris anno 2003 congregatum, sanationem edixit celerem post alterum interventum chirurgicum, perfectam, perseverantem et ex scientiae praescriptis inexplicabilem fuisse. Die 20 mensis Aprilis huius anni 2004 actus est Congressus Consultorum Theologorum et die 19 sequentis mensis Octobris habita est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo D.no Salvatore Boccaccio, Episcopo Frusinatensi-Verulano-Ferentino. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae Curcio (in saec.: Rosae), Fundatricis Congregationis Carmelitarum Missionariarum S. Teresiae a Iesu Infante, videlicet de celeri, perfecta ac perseveranti sanatione Ioannis Azzarelli a « sarcoma indifferenziato della clavicola sinistra, rapidamente recidivato dopo il primo intervento chirurgico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

RZESZOVIENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servi Dei Ladislai Findysz Sacerdotis dioecesani et Parochi (1907-1964)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Omnia possum in eo, qui me confortat » (*Philp* 4, 13).

Dei gratia roboratus, presbyter Ladislaus Findysz innumeras strenue subiit tribulationes et persecutiones. Ille enim, certus de gravibus periculis sibi instantibus, munus pastorale non neglexit, secus enim, quin viribus parceret, spirituale dominici gregis sibi crediti bonum fovendum curavit. Vexationes a regimine communistarum sibi inflictas animi fortitudine oppetivit, et ob aerumnas quas in carcere passus est spiritum exhalavit. Exemplum sequens Divini Redemptoris, ipsis vexatoribus ignovit et pro eorum conversione oravit.

Hic fervens pastor ex agricolarum familia ortus est die 13 mensis Decembris anno 1907 in oppido *Krościenko Niżne*, prope Crosnam, intra fines Archidioecesis Premisliensis Latinorum. Sua in terra natali litterarium ludum frequentavit apud Institutum quod Sorores Felicianae moderabantur, ac deinde in gymnasio urbis Crosnae studia peregit. Vocatione ad sacerdotium confirmata, philosophicis et theologicis se dedit studiis sub moderamine Beati Ioannis Adalberti Balicki († 1948). Die 19 mensis Iunii anno 1932 sacro presbyteratus Ordine insignitus est. Per decem circiter annos ministerium explicavit in diversis urbis paroeciis, ubi probitate eminuit et fervore quibus catechesis operam navabat.

Die 13 mensis Augusti anno 1942 parochus nominatus est oppidi *Nowy Żmigród*. Ibi existimationem conciliavit confratrum et fidelium ob virtutes et deditionem spiritumque sacrificii ad proprium munus adimplendum. Altero bello mundiali erumpente, circumscriptio eius paroecialis prius a nazistis, deinde ab exercitu sovietico est invasa. Mense Octobri anno 1944, quandoquidem incolae oppidi *Nowy Żmigród* a Germanis coacti sunt demigrare, Servus Dei ab aliquot suis confratribus sacerdotibus hospitio exceptus est. Bello tamen composito, in suam paroeciam rediit, sed omnia fere deleta esse deprehendit. Adlaboravit ad ecclesiam paroecialem restaurandam, ad opus pastorale resumendum, et ad dolores sedandos eorum qui luctu funestisque conflictus sequelis affligebantur.

Interea auctoritates communistae, qui post bellum in publicum ascenderant dominium, christianam fidem inter incolas magis in dies delere niteban-

tur et sacerdotes zelo praestantiores persequebantur, eos in carcerem conicientes et ob temerarias accusationes in ius vocantes. Quamvis Dei Servus in his arduis versaretur adiunctis, animo non defecit et laborare perrexit pro Christi Regno dilatando. Antichristianum publicae auctoritatis modum se gerendi aperte improbabat, hac de causa sub severa vigilantia observabatur. Mense Maio 1952 impeditus est ne catechismum in lyceo publico doceret, et ulterius negata est illi licentia commorandi in regionibus quae Slovachiae sunt confines, ac ne quidem in proprio paroeciae territorio.

Attentis difficultatibus omnes christifideles suae curae creditos adeundi, litteras-appellationes misit ad eos qui in haud legitimis condicionibus versabantur vel religiosas neglegebant obligationes, ut eosdem hortaretur ad rectam viam renovandam. Hoc invitamentum non placuit cuidam ex hortationum destinatariis, qui hac de causa adiit primores communistas, et hi die 25 mensis Novembris anno 1963 comprehenderunt Servum Dei mittentes eum in carcerem castri Rzeszoviensis. Processu-fabula praehabito, ad vincula damnatus est per duos annos et sex menses. Iam pridem physicis valetudinis condicionibus afficiebatur et exspectabat chirurgico interventui se subici. Auctoritates communistae, fictis quidem de causis, ab hoc interventu impediverunt illum. Praeterea translatus est in cellam carceris simul cum quibusdam facinorosis, ubi contumelias et omne genus vexationes pati debuit. Breve post tempus commorationis in carcere Cracoviae, liberatus est mense Februario anno 1964, cum tamen adversa eius valetudo refici non poterat. Die quo in publicum se ostendit, fideles eius paroeciae difficulter cognoverunt eum et lacrimas cohibere non potuerunt videntes physicum eius statum ob aerumnas carceris ita incompositum. In domum Patris transiit die 21 mensis Augusti anno 1964.

Populus Dei statim eum verum fidei martyrem reputavit. Fama haec annorum decursu est confirmata, quamobrem Episcopus Rzeszoviensis anno 2000 inchoavit Causam beatificationis seu declarationis martyrii, dioecesanam instruens Inquisitionem, cuius iuridicam validitatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum per decretum editum die 13 mensis Decembris anno 2002. Apparata *Positione*, disceptatum est, ad normam iuris, de asserto martyrio Servi Dei. Die 28 mensis Septembris anno 2004 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, felici cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 sequentis mensis Novembris congregati, audita relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Xaverii Echevarría Rodríguez, Episcopi titulo Cilibiensis, edixerunt Servum Dei Ladislaum Findysz ob vexationes quas in carcere sustinuit «in odium fidei» e vita decessisse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Ladislai Findysz, Sacerdotis dioecesani et Parochi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ROMANA seu NEPESINA et SUTRINA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Aloisii Mariae Olivares e Societate S. Francisci Salesii Episcopi Nepesini et Sutrini (1873-1943)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Uniuscuiusque Episcopi officium est mundo spem annuntiare incipiendo a praedicatione Evangelii Iesu Christi [...]. Theologalis spei, simul ac fidei et caritatis prospectus, pastorale Episcopi ministerium omnino informare debet » (IOANNES PAULUS II, Adhort. Apost. post-synod. *Pastores gregis*, 3).

Fidei, spei et caritatis per totam vitam, praesertim in ministerio episcopali, Aloisius Maria Olivares testis fuit egregius.

Hic Servus Dei Corbettae in provincia Mediolanensi die 18 mensis Octobris anno 1873 ex Alberto Olivares et Iuditha Reina natus est et postridie baptizatus. Pater eius probus fuit vir et imo corde christianus; e matre, vero, quae prudens filiorum iuxta Christi praecepta fuit educatrix, spiritum dili-

gentiae et voluntatis fortitudinis hausit. Magistrae eum puerum intentum, oboedientem, bonum cum omnibus esse dicebant. Die 9 mensis Maii anno 1881 sacramentum Confirmationis recepit et, paucis post mensibus, in Praeseminario Sancti Petri Martyris civitatis Sevesi adscriptus est, ut tertium et quartum cursum primariae institutionis audiret. Primam Communionem die 17 mensis Iunii anno 1883 accepit et die 21 mensis Octobris eiusdem anni Seminarium Minore Modiciae ingressus est, ut gymnasium iniret. Cum studio, pietate ac disciplina emineret, duobus aliis cum clericis Romam missus est, ut discipulos Seminarii Mediolanensis occasione Iubilaei presbyteralis Leonis Papae XIII insigniter effingeret. Cursu theologiae in Seminario Maiori Mediolanensi peracto, ubi primum Sodales Societatis Sancti Francisci Salesii cognovit, presbyteratu die 4 mensis Aprilis anno 1896 auctus est et statim muneri vicis Rectoris Collegii Episcopalis Saronni addictus.

Vita eius sacerdotalis virtutum exercitio sanctitatisque sedulitate enituit. Vocatione ad vitam religiosam percepta, die 14 mensis Novembris anno 1904 novitiatum Salesianum in civitate vulgo dictae *Foglizzo Canavese* iniit et die 15 mensis Novembris anno 1905 primam et biennio post perpetuam professionem emisit. Quinque per annos scientiam rei moralis et socialis docuit. Anno 1910 ei paroecia Beatae Mariae Virginis Liberatricis apud Montem Testarum in Urbe commissa est, quam regionem, paucorum annorum spatio, benignitate sua erga pauperes aegrotosque et indefessa in operarios iuvenesque sedulitate, in fervidam mutavit Dei communitatem.

Die 15 mensis Iulii anno 1916, episcopus Nepesinus et Sutrinus nominatus est. Pastor sollers, presbyteros suos admodum dilexit, quos semper comprehendit ac defendit, sicut et pauperum amavit populum et ab eodem amatus est. A mense Novembre anni 1928 usque ad Martium anni 1931 Administrator quoque Apostolicus dioecesis civitatis Castellanae, Hortanae et Gallesinae fuit. Die 19 mensis Maii anno 1943, Portu Naone, quo ad exercitia spiritualia iuvenibus discipulis Instituti Salesiani praedicanda se contulerat, in Domino quievit.

Vita ac scripta Aloisii Mariae Olivares fidem ostendunt vividam, profundam, firmam et operosam illius, qui assiduam cum Deo unionem habebat. Deus enim ad summum erat cogitationum eius, iam discipuli Seminarii, dein presbyteri et religiosi, demum et animarum pastoris. Vir erat orationis et imae pietatis: nam, pars praecipua fidei eius pietas fuit erga Eucharistiam et filialis teneraque in Beatam Virginem Mariam devotio.

In eo heroicum spei exercitium ex adhaesione Deo, ex rerum contemptu et summa Providentiae fide elucebat: perquam, enim, per difficultates tribulationesque Domino confidebat.

Res, insuper, peculiaris vitae eius exercitium heroicum fuit caritatis: ipsa die episcopalis ordinationis, nempe 29 mensis Octobris anno 1916, inter quinque proposita, quibus ipse se adstrinxit, illud praecipue perhibuit: « Tesseram vitae meae episcopalis volo caritatem esse sinceram, patientem, benignam, spiritualem et ad sacrificium promptam ». Quae caritas, in primis, in dilectione erga Deum, necnon in oratione, in plena conformitate ad divinam voluntatem, in sedula exsecutione officiorum et in fideli mandatorum Dei observantia apparuit. Vere enim heroica caritas erga proximum fuit, amore Dei enutrita, constans, indefessa, in spiritu et rebus, erga omnes, praesertim aegrotos, infirmos et indigentes. Ad labores ac sacrificium omne pro bono animarum paratus erat.

Exstat quoque ipsum heroico modo exercitium aliarum virtutum, praesertim prudentiae, iustitiae, temperantiae, fortitudinis, necnon paupertatis, castitatis, oboedientiae et humilitatis coluisse. Haud temere et fortuito, enim, Aloisius illud episcopale insigne elegit: *Fortiter et suaviter*. Testes eum semper mitem ac placidum, admodum sui compotem, interiore fortitudine et constanti aequitate mire refertum tradunt.

Ob celebratam eius sanctitatis famam Processus Cognitionalis apud Vicariatum Urbis inter annum 1963 et 1967 celebratus est et Processus Rogatorialis apud dioeceses Sutrinam et Nepesinam inter annum 1964 et 1966, quorum auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 11 mensis Octobris anno 1991 probatae sunt. *Positio super virtutibus* confecta est anno 1992. Die 23 mensis Martii anno 2004 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, felici cum exitu, factus est. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 16 mensis Novembris subsecuti, Ponente Causae Exc.mo D.no Ioanne Coppa, Archiepiscopo tit. Sertensi, agnoverunt Servum Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi*

Dei Aloisii Mariae Olivares, e Societate S. Francisci Salesii, Episcopi Nepesini et Sutrini, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MECHLINIENSIS-BRUXELLENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Boleslai Sloskans Episcopi tit. Cillitani Administratoris Apostolici Minscensis et Mohiloviensis Latinorum (1893-1981)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Hostia pro fratribus ».

Sententiola haec, quam Servus Dei occasione episcopalis ordinationis sibimet elegit, eius vitae et apostolatus propositum exprimit. Ipse enim, tamquam genuinus fidei praeco, qui novos discipulos ad Christum adducit (cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, n. 25), pastoris vitam obtulit pro fidelibus et, licet vexationibus afficeretur, nuntium evangelicum diffundere perrexit.

Hic fervens Episcopus natus est in loco *Tiltgals*, in Lettonia, die 31 mensis Augusti anno 1893. Expletis primis litterarum studiis, ingressus est Seminarium Sancti Petroburgi et die 21 mensis Ianuarii anno 1917 sacro Ordine presbyteratus est insignitus. Apud Cathedralem ecclesiam Sanctae Catharinae in urbe *Sancto Petroburgo* et *Moscuae* diversis in paroeciis ministerium explicavit.

Quandoquidem duo Episcopi catholici in exsilium eiecti erant, Servus Dei die 10 mensis Maii anno 1926 ordinatus est Episcopus titulo Cillitanus ab Episcopo Michaële d'Herbigny et die 12 mensis Augusti eiusdem anni Administrator Apostolicus Minscensis et Mohiloviensis Latinorum nominatus est.

Propter odium a publica auctoritate concitatum in ministros Ecclesiae, mense Septembri anno 1927 comprehensus est et missus in carcerem loci Minisci. Ibi per unius hebdomadae spatium segregatus mansit, deinde Moscuam translatus est, in carcerem loci *Lubianka,* ubi vexationes et contumelias passus est. Postea missus est in campum captivitatis urbis *Solovki.* Sociis carceris solamen tulit et fortitudinem ex oratione hausit ad hanc tribulationem perferendam. Prout poterat, Eucharistiam celebrabat, haud ignarus periculi cui occurrebat. Condicio vitae eius ingravescebat ob diversas valetudinis difficultates.

Post exiguam libertatis periodum, iterum comprehensus est et exsul in Sibiriam deportatus. Anno 1933 liberatus est; tunc, de rogatu Summi Pontificis Pii XI, per unius circiter anni spatium Romae commoratus est ut physicas reficeret vires. In Lettoniam reversus, praeceptor exstitit et moderator Seminarii Maioris in urbe *Riga,* magister insuper theologiae moralis et asceticae apud localem Studiorum Universitatem et assistens Actionis Catholicae. Altero bello mundano saeviente diversas tribulationes pati coactus est.

Anno 1947 in Belgium se contulit, sedem statuens Lovanii, prius apud domum formationis Fratrum Ordinis Servorum Mariae ac deinde apud coenobium Benedictinum loci *Mont-César.* Summus Pontifex Pius XII anno 1952 constituit eum Visitatorem Apostolicum pro catholicis Russis et Bielorussis migrantibus ad exteras nationes; ac sequenti anno commisit illi pastoralem curam profugorum Lettonum et Stoniensium. Servus Dei haec munera diligenter exercuit, plures scripsit litteras pastorales et opera spiritualia et ascetica vulgavit in lingua Lettonica. Concilio Oecumenico Vaticano II volvente, partes habuit «Commissionis de Ecclesiis Orientalibus».

Summa cumulatus pastorali caritate, verbo et exemplo suae sanctae vitae animabus inserviit. Etenim, eminenti gradu christianas excoluit et sacerdotales virtutes. Dominum super omnia dilexit eiusque voluntati obtemperavit. Tempore quoque insectationum testimonium de fide, caritate et spe strenue reddidit. Artam servavit communionem cum Ecclesia et cum Romano Pontifice. Liturgia, lectione et meditatione verbi Domini, quod ferventer nuntiavit, oratione assidua ipsoque sacerdotali et episcopali ministerio spiritualem suam vitam nutrivit. Eucharistiam, Passionem Christi et Beatissimam Virginem peculiari prosecutus est cultu. Suis persecutoribus ignovit pro eorumque conversione oravit.

Sapiens animarum moderator, prudentem aluit necessitudinem cum fratribus, aequabilis erga studentes, severus ad iniustitiam oppugnandam, serenus in difficultatibus, temperans, a terrenis opibus seiunctus, obsequens su-

perioribus ecclesiasticis, humilis et exemplar in castitate. Postquam vitam insumpsit Domino serviens et Ecclesiae, die 18 mensis Aprilis anno 1981 ad caelestem patriam pervenit.

Ob diffusam sanctitatis famam, Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis anno 2000 iniit Causam beatificationis et canonizationis, dioecesanam instituens Inquisitionem, cuius iuridica auctoritas approbata est per decretum quod Congregatio de Causis Sanctorum vulgavit die 14 mensis Decembris anno 2001. Exarata *Positione*, disceptatio uti de more habita est de virtutibus heroico gradu a Servo Dei exercitis. Die 8 mensis Novembris anno 2004 in Peculiari Congressu Consultores Theologi faventem tulerunt sententiam. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 14 sequentis mensis Decembris congregati, audita Relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Ioannis Coppa, Archiepiscopi titulo Sertensis, edixerunt Servum Dei Boleslaum Sloskans in exercendis virtutibus theologalibus, cardinalibus eisque adnexis heroicitatis fastigium attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Boleslai Sloskans, Episcopi tit. Cillitani, Administratoris Apostolici Minscensis et Mohiloviensis Latinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VARSAVIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Ignatii Kłopotowski Sacerdotis dioecesani Fundatoris Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis Lauretanae (1866-1931)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ignem veni mittere in terram et quid volo? Si iam accensus esset! » (*Lc* 12, 49).

Ignem Sancti Spiritus Ignatius Kłopotowski sacerdos accepit perpetuaque vita sua misit in proximos. Ipse enim, quippe qui fuerit « Dei ignis » saepenumero nuncupatus, haec fatebatur: « Numquid ignem suo corde accensum homo celare potest? Deus Ignis est Idemque in nobis insedit! ».

Hic sedulus Dei Servus natus est die 20 mensis Iulii anno 1866 in loco v. d. *Korzeniówka* biduoque post baptizatus est in paroecia Sanctissimae Trinitatis in urbe Drohiczinensi, qui tunc temporis intra fines dioecesis Vilnensis continebatur. A parentibus autem, quibus nomina Ioannes Kłopotowski et Isabella Dobrowolska, educatus est in ambitu profundae fidei catholicae summaeque caritatis in patriam, quae quidem tunc in externarum gentium dicione versabatur. Nam filiolo quavis ratione Deum Invisibilem videre cupienti pater et mater Iesum Christum in Sacramento Eucharistiae et in pauperibus praesentem solebant ostendere. Quod quidem exemplum in vita Servi Dei adeo fructificavit ut pietatem ei in Eucharistiam et egenos excitaret eumque in vocationem sacerdotalem tum cognoscendam tum plene et radicitus excolendam adiuvaret.

Cum ipse anno 1883 studiis gymnasii ad exitum perductis, Seminarium Maius Lublinense ingressus esset, post quadriennium missus est Petroburgum ad studiorum curriculum in Academia Religiosorum provehendum. Cum autem Lublini die 5 mensis Iulii anno 1891 sacrum presbyteratus Ordinem recepisset, a proprio Episcopo renuntiabatur primum vicarius paroeciae S. Pauli Apostoli, deinde cappellanus in valetudinario S. Vincentii a Paulo et professor in Seminario Lublinensi, postremo vicarius in Cathedrali Lublinensi. Annis 1896-1906 templi S. Stanislao, Episcopo et Martyri, dicati rector exsistens curam spiritalem gessit « Uniatum » e dicione v. d. *Podlasie.*

Gratissima compulsus memoria in Dominum propter statum sacerdotalem sibi donatum, ipseque auctoritatibus ecclesiasticis consentiens humilique obsequio se gerens, Lublini plurima pastoralia incepta suscepit. Qua in urbe

nempe fundavit mensam pauperum, domum operariam pro hominibus opere destitutis adulescentiumque artis tirocinio, duo orphanotrophia, domus pro senioribus domumque quandam puellabus illis, quae meretricio se dediderant, « a peccato tuendis ». Russicis porro auctoritatibus nescientibus ille vel rurales ludos pro Polonis instituit. Omnibus suis ipse fundationibus curabat ut saltem praestarentur cum Augustissimi Sacrificii celebratio tum cathechesis et facultas cuique quam saepissime ad Sacramentum Reconciliationis accedendi. Ipse denique inopem quemque personaliter adiuvabat et sustentabat, quippe qui pauperes tamquam propriam familiam haberet tempusque cum illis tereret, « pauperes meos » vocans: quos quidem diligebat illisque inserviebat perinde ac si Christus ipse essent.

Studium ignem divinae caritatis in mundum mittendi lumenque praeceptorum Christi quemvis in locum propagandi genuit in Servo Dei consilium catechizandi per scripta typis edita. Primum vero opus, quod ipse accuravit, liber, cui titulus: *Sanctissimi Sacramenti salutatio.* Subsequentes autem, per plurima exemplaria pervulgati, Eucharistiam, Marialem doctrinam, Sanctorum fortissimorumque patriae virorum vitas adtrectabant. Anno 1905 Servus Dei navitatem pastoralem suscepit per ephemeridas ab ipso editas, acta videlicet diurna, quibus inscriptio *Polak-Katolik* seu « Polonus Catholicus », et hebdomadalia, quibus *Posiew* seu « Sementem facere ».

Anno autem 1908, auctoritatibus ecclesiasticis assentientibus, Varsaviam commigravit, ubi quidem institit magis magisque diffuse catechizando per scripta typis edita de re catholica, quibus tituli: *Kółko Różańcowe* seu « Marialis Rosarii Sodalitas », *Anioł Stróż* seu « Angelus uniuscuiusque Custos », *Przegląd Katolicki* seu « Ephemeris catholica », *Głos Kapłański* seu « Vox sacerdotalis ». Quibus quidem ephemeridibus librisque ab ipso editis, cum Lublini tum Varsaviae, Servus Dei strenue fidei christianisque praeceptis de virtute tuendis pugnavit. Cum ab anno 1919 Archidioecesi Varsaviensi incardinatus esset, munus suscepit parochi in paroecia Beatae Virginis Lauretanae apud templum S. Floriano dicatum isque vicarii pro regione urbana Pragensi.

Anno 1920 Congregationem Sororum Beatae Mariae Virginis Lauretanae fundavit, quae dilectione Verbi Incarnati Ipsiusque Matris Immaculatae pro charismate niterentur. Quibus nempe is munus concredidit orandi operamque apostolicam navandi pro Summo Pontifice totaque Ecclesia, scilicet piis scriptis de re catholica in lucem edendis vulgandis pauperibusque curandis.

Servus Dei nullis vitae suae sacerdotalis adiunctis crises fidei vel vocationis est expertus. Nam in sanctitatis semita perseveravit, cotidie orationi et indefesso zelo pastorali adhaerens, quippe qui animarum saluti pauperibusque deditus tereretur. Suam ipse vitam in discrimen adduxit donec typhi pestilentia ingruescente aegrotos religionis solaciis impertiret. Solitarius vir in apostolatu per scripta typis edita de re catholica perseveravit, cum saepe ab Ecclesiae adversariis derrideretur. Ipse autem in sedulitate vitae semper Christo Summo Sacerdoti adhaesit, cuius e cruce vires hauriret ad oboedientiam, paupertatem et castitatem heroice exercendas. Iniuriis sibi illatis ignoscebat gratissimoque animo propter vocationem sibi donatam semetipsum in vita diem ex die agenda humilem praebebat. Vitam immo ipse et navitatem apostolicam Mariae omnino commendavit. Veritatem semper exquisivit, quam quidem in vita et apostolatu promovit et defendit.

Quem tandem Servum suum Dominus necopinantem in caelestem patriam revocavit. Nam ille, postquam ad Sacramentum Reconciliationis accessisset, die 7 mensis Septembris anno 1931, in vigilia scilicet Nativitatis Beatissimae Virginis, in domum Patris est reversus, ubi vultum Dei Invisibilis, quem cernere inde a vitae suae primordiis expetivit, quiret in aeternitate contemplari. Duo enim ipse exoptaverat, alterum scilicet quod a puero: « Deum videre cupio », alterum vero quod extremis vitae temporibus: « Christum Summum Sacerdotem quam primum cernere cupio » dictitaret.

Cum autem fama sanctitatis, quae Servo Dei cum viventi tum statim post obitum circumfulsit, non modo in Polonia sed etiam aliis in terris glisceret continenter, precibus quoque sibi a Congregatione Sororum Beatae Mariae Virginis Lauretanae porrectis concedens, Causam beatificationis et canonizationis Archiepiscopus Varsaviensis inchoavit per Inquisitionem dioecesanam annis 1988-1992 celebratam. Cuius validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 20 mensis Martii anno 1993 latum. *Positione* autem confecta, disceptatum est de more utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 5 mensis Octobris anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 7 mensis Decembris eiusdem anni congregata, Exc.mo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, Causae Ponente, agnoverunt Servum Dei Ignatium Kłopotowski presbyterum virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causa Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ignatii Kłopotowski, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Sororum Beatae Mariae Virginis Lauretanae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

SANCTI PAULI IN BRASILIA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Mariani de la Mata Aparicio Sacerdotis professi Ordinis Sancti Augustini (1905-1983)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Fructus Spiritus est caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia » (*Gal* 5, 22).

Omnibus his dotibus Deus instruxit presbyterum Marianum de la Mata Aparicio, qui, ambulans secundum Spiritum, formam vitae Christi assumpsit, in mundum Evangelii lumen diffudit et ad animarum salutem adque Ecclesiae aedificationem efficaciter contulit.

Hic dignus Sancti Augustini discipulus die 30 mensis Decembris anno 1905 in oppido *Barrio de la Puebla de Valdavia*, in Hispania, dioecesis Legionensis et Provinciae Palentinae, ortus est a parentibus Emmanuele de la Mata Fraile et Martina Aparicio Baños, agricolis fidei integritate praeditis. Die primo sequentis mensis Ianuarii baptismali lavacro est ablutus et die 22 mensis Septembris eiusdem anni sacro Confirmationis chrismate est unctus. Elementaria studia in terra natali iniit et altiora Vallisoleti; ibi anno 1921 ingressus est Ordinem Sancti Augustini. Sequenti anno in manus Beati Anselmi Polanco religiosam emisit professionem. Die 25 mensis Iulii anno 1930 Christi sacerdos constitutus est, atque in Hispania sacrum exercuit ministerium; sed anno 1931 a suis superioribus in Brasiliam missus est, ubi simpliciter, fideliter et strenue Ecelesiae, Ordini suo et populo usque ad mortem inserviit, sibi omnium qui noverunt eum comparans aestimationem et venerationem.

Initio adiutricem praestitit operam apud paroeciam loci *Taquaritinga,* dioecesis Sancti Caroli in Brasilia. Anno 1933 Paulopolim translatus, destinatus est ad Collegium Sancti Augustini tamquam magister, secretarius, oeconomus et moderator quoque spiritus apud «Officinas Sanctae Ritae a Cassia»: ita appellatur associatio quaedam caritatis quae adhuc incumbit in vestes pro pauperibus conficiendas. Inter annos 1945-1948 Viceprovinciam Sancti Augustini in Brasilia sapienter ac sollecite moderatus est. Ab anno 1949 ad annum 1960 consueta sua navitate laborem exercuit in oppido vulgo *Engenheiro Schmidt.* Anno 1961 Paulopolim iterum se contulit, ubi deinceps operatus est tamquam magister, cooperator paroecialis et spiritalis moderator associationis quam supra diximus.

Omnia obivit munia sibi credita humilem se ostendens, generosum, comem et affabilem erga omnes, ita ut excelsam in se humanitatem cum profunda vita spiritali componeret. Opera extraordinaria aut speciosa non peregit, sed religiosam suam consecrationem et sacerdotium adamussim implevit. Sub fidei, spei et caritatis lumine Deum magis quam seipsum dilexit, atque pauperibus, aegrotis, agonizantibus, pueris derelictis constanter inserviit. Assiduum se praebuit ad reconciliationis sacramentum ministrandum et ad excipiendos omnes qui ab ipso spiritualia vel materialia quaerebant subsidia. Panem verbi Dei diligenter et efficaciter distribuit, atque libenter exaudiebatur quoniam operibus evidenter ostendebat quidquid verbis docebat. Ordini suo utilem se reddidit et confratribus, exemplum relinquens observantiae Regulae quam professus erat. Ad effectum deduxit oboedientiam, paupertatem, castitatem, temperantiam, spiritum sacrificii,

fortitudinem in difficultatibus, perseverantiam in divinis laudibus et in animarum cura. Prudens exstitit ad instrumenta eligenda magis idonea ad propriam aliorumque sanctificationem. Spem suam in Domino posuit et, a terrenis illecebris soluto corde, caelestia bona appetivit. Cotidianus eius cardo constituebatur eucharistica celebratione, liturgia horarum atque coronae marialis recitatione. Eucharistiam, Sacratissimum Cor Iesu, Virginem a Columna et a Consolatione, nec non Sanctum Augustinum et Sanctam Ritam a Cassia peculiari cumulavit devotione. Communionem cum Deo usque fovit per orationem et per ipsa apostolatus opera. Aegritudines patienter sustinuit, ad Dei voluntatem omnino sese conformans. Sereno se paravit animo ad extremum occursum Domini, qui ad se vocavit eum die 5 mensis Aprilis anno 1983.

Sanctitatis fama qua vivens circumdabatur, post mortem diffundi perrexit, quamobrem Archiepiscopus archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia, de sodalium Ordinis Sancti Augustini rogatu, inchoavit Causam beatificationis et canonizationis. Iuridicam validitatem Inquisitionis dioecesanae, peractae in archidioecesi quam nuper memoravimus, nec non Inquisitionum Rogatorialium dioecesis Palentinae et Praelaturae Territorialis Cafayatensis in Argentina haec Congregatio approbavit, decretum vulgans die 12 mensis Februarii anno 1999. Apparata *Positione,* uti de more disceptatum est num Servus Dei virtutes heroico gradu exercuerit. Die 27 mensis Aprilis huius anni 2004 habitus est, felici cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 5 sequentis mensis Octobris, Patres Cardinales et Episcopi, in Ordinaria Sessione congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Francisco Croci, Episcopo titulo Potentino in Piceno, edixerunt presbyterum Marianum de la Mata Aparicio theologales, cardinales eisque adnexas virtutes heroicum in modum esse exsecutum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque astantibus Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Mariani*

de la Mata Aparicio, Sacerdotis professi Ordinis Sancti Augustini, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MONASTERIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Titi Horten (in saec.: Francisci Aloisii) Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Praedicatorum (1882-1936)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est » (*Mc* 3, 35).

Exemplum ac praecepta Iesu Christi sequens, cuius cibus voluntas Patris erat (*Io* 4, 34), Titus Horten sacerdos inde ab adulescentia viam oboedientiae in Deum, Ecclesiam Superioresque carpsit atque in hisce salutaribus moribus usque ad finem perseveravit. Paulo enim ante mortem: « Sanctum me facere cupio — scripsit — voluntatem Dei dignoscens et exsequens. Hoc quidem esse debet desiderium nostrum et gaudium. Nunc ergo, ubi sum, voluntatem Dei dignoscere cupio et exsequi perfecte ».

Qui frater Domini natus est die 9 mensis Augusti anno 1882 in loco v. d. *Elberfeld,* intra fines archidioecesis Coloniensis in Germania, ex Antonio Humberto Horten magistratu et Eugenia Sophia Krauser, qui, cum ambo religioni Catholicae ardenter studerent reique familiaris copiis locupletes exsisterent, christianae doctrinae praeceptis octo liberos imbuerunt, quorum aliquot sacerdotio vitaque consecrata sunt aucti. Servus autem Dei baptizatus est die 15 eiusdem mensis Augusti eique nomina imposita sunt Francisci Aloisii Laurentii Friderici. Qui anno 1895 Lipsiae primum Eucharistia refec-

tus, subsequenti anno Venloae in Nederlandia sacramentum Confirmationis recepit. Postquam studiorum curriculum nonnullis in locis persecutus est, Bonnae tandem, ubi ipse cum matre vidua degebat impensamque beneficiis operam navabat, philologiae laurea est ornatus.

Paucis autem post diebus omnia reliquit ut in Ordine Fratrum Praedicatorum se Deo consecraret. Conventum itaque Venloanum ingressus, die 28 mensis Augusti anno 1910, novo nomine Titi sumpto, professionem religiosam emisit. Studia theologiae persecutus est Dusseldorpii et Romae, ubi die 27 mensis Februarii anno 1915 sacrum presbyteratus Ordinem recepit. Domum reversus, iussus est infirmis militibus assidere, qui in Conventu recepti exsistebant. Ab anno 1917 usque ad annum 1936 deguit in Conventu Vechtensi apud Oldenburgum, in quo nonnulla munia obivit, videlicet exterarum linguarum Magistri, Oeconomi, Vice-rectoris Collegii, Moderatoris Tertii Ordinis Dominicani, bis continenter Prioris, postremo Directoris librariae ab Alberto Magno nuncupatae. Anno 1927 porro renuntiatus est Procurator generalis Dominicanae Missionis Apostolicae Praefecturae a SS.mo Rosario Tingchovensis in Sinis. Ipse quidem pecuniae colligendae et ad missionarii operis sustentationem transferendae totum se tradidit, omnia simpliciter ac studiose agens semperque Dei gloriam et bonum proximi appetens.

Omnibus exemplo fuit, tum propter fidelitatem erga sacerdotium et religiosam consecrationem, tum propter studium ac perseverantiam quibus ad sanctitatem est progressus. Suam ipse indolem mortificavit, sibimetipsi imperans Christianasque virtutes adsidue spiritalique cum delectatione exercens. In Deum et Ecclesiae magisterium firmiter credidit et semper secundum ea quae credebat egit proximumque iuvit ut idem faceret. Intimam cum Domino unionem excoluit, quem in omnibus vitae suae adiunctis adesse animadvertit. Eucharistiam pientissime celebrabat ac SS.mum Sacramentum adsidue visebat libenterque se orationi et divinis contemplandis mysteriis immergebat, uberrimam vitam interiorem dispiciendam offerens. Filiali quoque devotione Dei Genitricem est prosecutus piamque Rosarii precationem diffudit. Caritas porro, qua in Dominum accendebatur, eius sollicitudinem in proximum aluit, cui bonus liberalisque in necessitatibus tum animi tum corporis profuit, et laicus adulescens et sacerdos. Caritatem fraternam adhibuit suis suaeque religiosae communitatis sodalibus omnibusque iis qui eum variis muneribus fungentem adire potuerunt. Animorum concordiam fovit, infirmos pauperesque consolatus est, semitas Dei docuit omnes qui ministerio sacerdotali eius uterentur. Prudens etiam fuit in deligendis aptissimis propriae sanctificationis rationibus. Miram fortitudinem et patientiam ostendit

in incommodis, abdicationibus, aerumnis omnimodisque difficultatibus tolerandis. Temperantiam, ascesim et austeritatem Ordinis Dominicani exercuit, propriam cum Domino unionem meliorem efficere cupiens. Castitatem, paupertatem iustitiamque tum in Deum tum in proximum singulariter excoluit, orationis efficacitati atque misericordiae Domini auxilioque confisus.

Fiducia enim in Deum futurorumque bonorum spes maxime in extremis Servi Dei vitae temporibus effulserunt, quando ipsi humiliatio poenaque carceris subeundae fuerunt. Nam cum repetundarum in pecunia ad missiones mittenda damnatus esset, die 8 mensis Maii anno 1935 captus est una cum Superiore provinciali et quodam alio religioso viro. Itaque dira vexatione, quam socialismi nationalis regimen Ecclesiae Catholicae inflixerat, aestuante, iudicio arcessitus duorum annorum custodia ingentique pecunia est multatus. Iurisperiti autem, qui casum perspexerunt, iudicium damnationemque nullo gravi fundamento innixa exstitisse adfirmant, cum praesertim pateat Servum Dei numquam se leges rei publicae ultro transgressurum in animo habuisse. Postea tamen Superior provincialis fructus est eo quod Tribunal Provocationum priorem sententiam abrogaverat; sed Pater Titus iam die 25 mensis Ianuarii anno 1936 vita functus erat, hisce verbis sine intermissione repetitis: « Omnia pro te, SS.mum Cor Iesu. O mi Iesu, miserere! ».

Labentibus annis fama sanctitatis, quae Servum Dei cum viventem tum post mortem prosequebatur, aucta est atque confirmata, quapropter Episcopus Monasteriensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Processum Ordinarium Informativum annis 1950-1953 celebratum, Inquisitione dioecesana annis 1984-1985 subsequente. Quorum amborum et singulorum vis iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 20 mensis Martii anno 1993 latum. *Positione* confecta, disceptatum est secundum normas utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 2 mensis Martii huius anni 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 9 mensis Novembris subsecuti congregata, Exc.mo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, Causae Ponente, agnoverunt Titum Horten presbyterum virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Titi Horten (in saec.: Francisci Aloisii), Sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Praedicatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PREMISLIENSIS LATINORUM

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Mariae Columbae Białecka (in saec.: Rosae Philippae) Fundatricis Congregationis Sororum III Ordinis Sancti Dominici (1838-1887)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis» (*Rom* 5, 5).

Caritas quidem Dei in corde Matris Mariae Columbae Białecka uberrime germinavit, quae inde a pueritia minime semetipsam, quin potius Iesu Christi gloriam bonumque proximi exquisivit, quod summa benignitate summoque sese devovendi studio dilexit.

Serva Dei nata est die 23 mensis Augusti anno 1838 in loco v. d. *Jaśniszcze*, intra fines archidioecesis Leopolitanae Latinorum, e Francisco Białecki et Ernestilla Radziejowska nobilibus, qui fidem liberis tradiderunt. Postridie, cum Baptisma recepit, nomina ei indita sunt Rosa Philippa Philomena; anno

autem 1846 primitus pabulo eucharistico est enutrita. Cum vero duodecim annos nata sacramentum Confirmationis accepit, vovit se claustra ingressuram. Studia excoluit in collegio Sororum a SS.mo Corde, ubi quidem particeps fuit Filiarum Mariae et Sodalitatis a SS.mo Rosario. Patre tandem reluctante devicto, statuit se Deo consecraturam. Anno itaque 1857, P. Vincentio Jandel, Ordinis Praedicatorum Magistro generali, suadente, Congregationem Sororum Tertii Ordinis Regularis et Docentis Sancti Dominici intravit Nanceii in Gallia, eandem Congregationem in Polonia conditura. Nam Serva Dei, postquam anno 1859, nomine Sorore Maria Columba, vota temporaria nuncupavit, domum reversa est; ibique anno 1860 sacerdoti Iuliano Leszczyński satisfecit, hortanti ut novum Institutum religiosum in loco v. d. *Wielowieś* apud Sandomiriam, scilicet intra fines dioecesis Premisliensis Latinorum, aperiret. Post igitur vota perpetua Kalendis Aprilibus anni 1861 Nanceii nuncupata, ipsa in Poloniam revertebatur, Congregationem Sororum Tertii Ordinis Sancti Dominici conditura, quae quidem Gallicae Congregationi spiritali tantum vinculo necteretur.

Die autem 30 mensis Maii eiusdem anni Serva Dei, duabus aspirantibus comitantibus, suam Fundatricis missionem in loco v. d. *Wielowieś* inchoavit. Una cum sociabus ipsa in primis colonis infirmis, sive hi in suis quique domibus degerent sive fuissent in cubicula apud conventum recepti, curandis se tradidit; brevique post tempore cum catechesim pueris, adulescentibus et adultis tradere, tum in ludo paroeciae docere incepit. Itaque beneficis quibusdam largientibus et populo, qui quidem Sororum navitatem ilico aestimavit, novum conventum exstruebatur; ubi cum ipsa novitiatum subsequenti die 8 mensis Augusti esset auspicata, anno 1868 dioecesanam approbationem Congregationis, anno autem 1885 decretum laudis ex parte Sanctae Sedis obtinuit.

Prudenter ac studiose favit Instituto confirmando et augendo, quod ipsa infimi ordinis hominibus evangelizandis et auxiliandis fundaverat. Suas porro Sorores efformandas diligenter curavit, quas fide maturas, incommoda minime recusantes, in apostolatu alacres, vita intima fervidas optaret exsistere. Quas quidem paulo ante obitum monuit ut pauperibus innocentia et caritate opitularentur atque humilitatem, caritatem, oboedientiam, orationem denique et silentium excolentes eminerent. Suas ipsa filias spiritales verbo, quin praesertim sanctae documento vitae educavit. Nam quod doceret, idem reipsa exercebat eaque, utpote Christi discipula fidelis, viam Evangelii carpsit virtutes christianas diligenter, perseveranter ac delectabiliter excolendo.

Fidei, spei caritatisque lumine vixit iugiter collustrata, Dei voluntatem bonumque proximi pro lege suprema habens. Fide quoque Divinae Providen-

tiae suffulta, aerumnas, invidias et incommoda toleravit, calamitates pro rationibus animae purificandae accipiens. Iusta fuit tum in Deum tum in homines, eaque emendata, mundana contemnens, exemplo ipsa quoad oboedientiam, castitatem, paupertatem. Suam cum Domino unionem sicut et apostolatum aluit oratione ferventique eucharistica pietate, quam in Congregationem transfundere voluit. Eucharistia enim culmen ipsius vitae spiritalis exsistebat ipsiusque deliciae. Augustissimi Sacrificii celebrationi fructuose intererat, verbo Dei et Corpore Christi vescens; coram SS.mo Sacramento longas horas eaque noctu diuque morabatur adorans. Peculiarem Deiparae quoque devotionem adhibuit, quam pro magistra habuit in Christi sequela. SS.mi Rosarii precationem summopere dilexit. Quae quidem moriens Sorores talia adfata monuerat: «Suavem et puerilem pietatem in Beatissimam Genetricem, utpote propriam Patronam, excolatis. Haec praestet Congregatio devotione tum SS.mo Sacramento tum Beatissimae Deiparae adhibenda». Hisce igitur a religionibus ipsa hausit tranquillitatem et pacem et fortitudinem cum in prosperis tum in adversis, eademque cum integra tum infirma valetudine utens, quippe quae morbos patienter ferret. Usque in finem dierum suorum Deo comitante processit singulisque muneribus sibi concreditis est functa. Quam quidem Dominus ad Se vocavit die 18 mensis Martii anno 1887, in vigilia scilicet festi Sancti Ioseph. Ipsius autem ex optatu in horto conventus, pene sacellum eademque apud Tabernaculum, est sepulta.

Fama sanctitatis, quae Servam Dei viventem prosequebatur, et post mortem eius permansit; quamobrem Episcopus Premisliensis Latinorum Inquisitionem dioecesanam annis 1988-1989 instruxit. Cuius validitas iuridica rata est ab hoc Dicasterio per decretum die 14 mensis Februarii anno 1992 latum. *Positione* confecta, die 17 mensis Decembris anno 2002 Consultorum Historicorum sessio facta est, deinde disceptatum est secundum normas utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 28 mensis Septembris anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 14 mensis Decembris eiusdem anni congregata, Exc.mo D.no Petro Georgio Nesti, C.P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, Causae Ponente, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Columbae Białecka (in saec.: Rosae Philippae), Fundatricis Congregationis Sororum III Ordinis Sancti Dominici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

LEOPOLITANA LATINORUM

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Marthae Wiecka Societatis Puellarum a Caritate S. Vincentii de Paul (1874-1904)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Praesertim sanctitatis vita, quae tot in populi Dei membris fulget, demissis saepiusque ab oculis hominum remotis, simpliciorem venustioremque constituit viam, quam sequentes confestim percipere possumus veritatis pulchritudinem, amoris Dei vim liberantem » (Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Veritatis splendor*, 107: *AAS*, LXXXV [1993], 1217).

Quae quidem Beatissimi Patris sententia merito dici potest de Serva Dei Martha Wiecka, quae nata est die 12 mensis Ianuarii anno 1874 in pago v. d. *Nowy Wiec* in Pomerania, intra fines Poloniae; die autem 18 eiusdem mensis baptizata est in templo paroeciali loci v. d. *Szczodrów* eique nomina indita sunt Marthae Annae.

Parvula, tertio loco genita inter tredecim liberos Marcelli Wiecki a Leliwa, latifundii domini, et Paulinae Kamrowska, puerili institutione ad exitum perducta, post annuum tirocinium ad sacramenta Confessionis et Primae Communionis accessit anno 1886 in aedibus paroecialibus loci v. d. *Skarszewy*. Quae nempe tum orandi aliisque inserviendi studium tum magnam devotionem in Beatissimam Mariam Virginem Sanctumque Ioannem Nepomucenum per totam pueritiam exhibuit.

Eadem porro duodeviginti annos nata Novitiatum Societatis Puellarum a Caritate S. Vincentii de Paul ingressa est Cracoviae, per duodecim annos vitae consecratae aegrotis inserviens in nonnullis valetudinariis, videlicet Leopolitano (annis 1893-1894) et oppidorum v. d. *Podhajce* (annis 1894-1899), *Bochnia* (annis 1899-1902), *Śniatyń* (annis 1902-1904). Vota autem primum nuncupavit die 15 mensis Augusti anno 1897, nempe dum in oppido v. d. *Podhajce* moratur.

Sanctitatem ipsa suis infirmorum ministrae muneribus zelanter et officiose obeundis appetebat, adeo ut « beneficae virginis« titulo saepe ab aegrotantibus ornaretur. Nam, optatis S. Vincentii de Paul respondere satagens, omni ope non modo corporum, sed et animarum infirmorum curam gerebat. Ab iis vero, qui ipsius vitae testes fuerunt, summo studio nixa fertur ne quisquam obiret priusquam Deo reconciliaretur. Quin immo, ipsa taliter se gerente, haud raro factum est ut quidam aegrotantes religione et patria differentes ad Christianam fidem se converterent.

Tam honestae vitae curriculum quidam heroicus caritatis actus, vitae nempe profusio, cumulavit. Nam Serva Dei, cum comperisset quendam iuvenem patremfamilias, eundemque infirmorum ministrum, iussum esse cubiculum, ubi mulier quaedam typho laborans degebat, suffire, licet magni discriminis obeundi conscia, partes illius in munere purgationis sumere statuit sicque morbum ex contagione contraxit. Post brevem infirmitatem, omnibus pro eius sanitate orantibus ipsisque Hebraeis singularem ritum in synagoga celebrantibus, vita functa est die 30 mensis Maii anno 1904 in oppido v. d. *Śniatyń;* quod quidem, tum temporis intra fines Poloniae iacens, postea in germanicam, mox autem in sovieticam dicionem est redactum; nunc vero ucrainis finibus continetur.

Plurimi religione differentes — Catholici latini nempe vel Graecocatholici vel denique Orthodoxi — sed et alii spiritalia neglegentes, Servae Dei exsequias funeris prosequentes, acerbam maestitiam simul et amorem, existimationem gratamque beneficiorum memoriam ostenderunt.

Tumulus vero a tempore obitus usque in praesens peregrinis undique commeantibus frequentatur; quod quidem demonstrat magnam famam sanctitatis exsistere.

Causam autem beatificationis et canonizationis Archiepiscopus Leopolitanus Latinorum inchoavit per Inquisitionem dioecesanam annis 1997-1998 celebratam. Cuius validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 9 mensis Aprilis anno 1999 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 11 mensis Maii anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 5 mensis Octobris eiusdem anni congregata, audita relatione Em.mi D.ni Augustini Card. Cacciavillan, Causae Ponentis, agnoverunt Servam Dei virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Marthae Wiecka, Societatis Puellarum a Caritate S. Vincentii de Paul, in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BIALOSTOCENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Michaëlis Sopoćko Sacerdotis dioecesani (1888-1975)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Debet itaque profiteri Ecclesia et proclamare divinam misericordiam omni ex ipsius veritate prout eam nobis revelatio tradidit » (Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Dives in misericordia,* 13).

Huiusmodi munus ferventer et efficaciter explicavit quoque presbyter Michaël Sopoćko, qui, eximia pastorali caritate ductus, laboravit pro Dei gloria animarumque salute, operibus, verbis et scriptis misericordem Patris vultum ostendens (cf. *2 Cor* 1, 3), et cultum erga divinam misericordiam promovens.

Hic fervidus pastor die 1 mensis Novembris anno 1888 natus est in loco *Juszewszczyzna,* Vilnensis regionis. Litterarum didicit rudimenta apud scholam populi *Zabrzeź* et propriam perfecit institutionem in oppido *Oszmiana,* apud institutum a Russicis administratum. Erga familiares, magistros et condiscipulos amabilem se praebuit, et iuvenili in aetate percipere coepit ad sacerdotium vocari. Duodeviginti circiter annos natus Vilnam petiit, ibi commorans apud convictum sub moderamine viri Iosephi Zmitrowicz, qui eius formationi prospexit ac deinde misit eum in urbem S. Petroburgum ut illa subiret examina quae ad ingressum in Seminarium Vilnense requirebantur. Illuc se contulit anno 1910 et, curriculo ad normam expleto, die 15 mensis Iunii anno 1914 sacro presbyteratus Ordine est insignitus.

Ministerium sacerdotale exercere incepit uti vicarius paroeciae Sancti Michaëlis Archangeli in *Taboryszki* et amplam explicavit pastoralem operam praesertim apud iuvenes, quamvis non defuerint difficultates provenientes ex primo bello mundano tunc erumpente. Quo christifideles Eucharisticae celebrationi facilius interesse possent, in locis *Miedniki* et *Onżadów,* longe a sede paroeciali, duas cappellas aedificandas curavit.

Anno 1918 cappellanus militum constitutus est. Paternam adhibuit sollicitudinem de militibus vulneratis, quibus solamen ferebat eisque sacramenta administrabat. Ex acie bellica redux, milites spiritualiter curare perrexit, pro quibus sedem cultus condidit, subsidia pro familiis indigentibus promovit et pro filiis orphanis parentum in bello lapsorum scholam aedificavit. Varsaviae studiis se dedit theologiae et paedagogiae, et anno 1923 titulo honestatus est magistri in theologia. Vilnam reversus, iterum de militibus curam gessit,

ecclesiam Sancti Ignatii restaurandam fecit atque in iuvenes christiana fide erudiendos operam impendit. Nominatus insuper est moderator spiritualis apud Seminarium Vilnense et praeceptor in Facultate Theologica illius loci. Praeterea innumeras commentationes pervulgavit. Cum vero omnia haec munera componere non posset, vinculo solutus est cappellani militum.

Confessarius quoque plures communitates religiosas adibat; et inter paenitentes recensebatur Sancta Faustina Kowalska, quae appellavit eum « animam usque in extremum Deo refertam ». Ipsa inspirante, Servus Dei apostolus factus est devotionis erga Divinam Misericordiam. Haud parum contulit in condendam Congregationem Sororum Ancillarum Divinae Misericordiae. Tempore quo alterum erupit mundanum bellum, Vilnae morabatur, et primis annis bellici conflictus resumpsit munus docendi in Seminario, explicavit ingentem operam apostolicam nec non auxilium provexit pro indigentibus. Deinde, ut nazistas eluderet, refugium invenit apud domum Sororum Ursulinarum loci *Czarny Bór,* ubi usque ad bellum compositum permansit.

Anno 1945 Russici claudere statuerunt domum Seminarii, cuius sedes translata est in Bialostocensem urbem; quamobrem Servus Dei huc se contulit, ubi ad Christi Regnum dilatandum frugiferum opus explevit. Templum aedificare cupiens in honorem Divinae Misericordiae, a publicis auctoritatibus impeditus est. Anno 1962 munus reliquit praeceptoris Seminarii, proprium tamen ministerium summo studio ac deditione exercere perrexit. Praedicatione et scriptis christifideles ducebat per Domini vias et ipsemet in primis exemplum praebebat vitae insumptae pro Dei proximique famulatu, omnes excolens virtutes christianas et sacerdotales.

In revelatas veritates firmiter credidit et propria vita fidem testificatus est. Spiritualem vitam nutrivit pia eucharistica celebratione, lectione ac meditatione verbi Dei quod ferventer nuntiaverat, assidua oratione nec non devotione erga Eucharistiam et Mariam Virginem. Quoties in difficultatibus versabatur, sperabat in auxilium Divinae Providentiae aliosque hortabatur ne fiduciam in Domino umquam amitterent, dicens: « Speremus in Eo, quamvis videatur Deus nos relinquere nosque privari videamur eius solamine ». Dilectione erga Dominum compulsus est ad eius voluntatem adimplendam, ad munia status sacerdotalis propria obeunda, atque ad diligentiam pro Regni Dei incremento et pro errantium conversione gerendam. Bello grassante, propriam quoque vitam in discrimen adduxit ad aliorum vitam in periculo versantium servandam, et plurimis adultis, congruenti praehabita catechesi, Baptismum administravit. Erga omnes comem et studiosum et peculiariter

erga sacrorum alumnos benevolum se ostendit. Posthabuit quoque obtrectationes eorum qui eum adversabantur.

Prudens exstitit ad propriam vitam spiritualem curandam et ad magis idonea seligenda instrumenta suae sanctificationis; sapiens pariter animas moderatus est et cordatus consilia tulit. Aequo et integro animo iugiter egit, et adlaboravit ad exsequendam iustitiam socialem. Mitis fuit et temperans in omnibus adiunctis; contendit ut etiam christifideles sobriam vitam gererent, atque vitium alcoholismi vehementer oppugnavit. Studiosus paupertatis, in cubiculis valde modestis morabatur et vestes simplices induebat, quin terrenarum rerum cupidum se praeberet. Auctoritatibus ecclesiasticis obtemperavit, etiam cum id aliquando onerosum fuerit. Castitatem excoluit, cuius momentum scriptis et praedicatione illustravit. Non gloriabatur; de seipso loqui ac seipsum ostendere detestabatur.

Senio extremoque morbo affectus serene omnia pertulit et omnino deditus voluntati Domini, ad quem transiit die 15 mensis Februarii anno 1975.

Ob diffusam sanctitatis famam, Curia Bialostocensis beatificationis et canonizationis Causam perfecit annis 1987-1993 dioecesanam Inquisitionem, cuius iuridicam auctoritatem agnovit Congregatio de Causis Sanctorum vulgans decretum die 22 mensis Septembris anno 1993. Exarata *Positione,* suscepta est disceptatio, uti de more, super virtutibus ab ipso Servo Dei exercitis. Felici cum exitu, die 5 mensis Octobris anno 2004 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 7 sequentis mensis Decembris congregati, audita Relatione Ponentis Causae, Exc.mi D.ni Salvatoris Fisichella, Episcopi titulo Vicohabentini, declaraverunt Servum Dei Michaëlem Sopoćko virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroico gradu excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Michaëlis Sopoćko, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CALARITANA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Virgilii Angioni Sacerdotis dioecesani Fundatoris Congregationis Filiarum Mariae SS.mae Matris Divinae Providentiae et Boni Pastoris (1878-1947)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Vita nobis pro animabus ponenda ».

Hisce verbis, quae pro sacro presbyteratus Ordine recipiendo conscripserat, Servus Dei Virgilius Angioni per totum vitae suae curriculum haesit. Qui nempe, latis spatiosisque viis declinatis, per portam angustam intravit (cf. *Mt* 7, 13), Deo et animabus inexhausta caritate famulatus est utque derelictioribus adesset, pro quibus Congregationem Filiarum Mariae SS.mae Matris Divinae Providentiae et Boni Pastoris fundavit et damna, incommoda inopiamque est perpessus.

Qui sedulus sacerdos natus est in oppido v. d. *Quartu Sant'Elena,* intra fines Archidioecesis Calaritanae, die 14 mensis Novembris anno 1878. Post institutionem mediam Othocae seu Oristani, quo ipse una cum familiaribus transmigraverat, peractam, consilio status sacerdotalis capessendi in animum voluto, sub decimum septimum annum aetatis ingressus est Seminarium Calaritanum. Studiis praescriptis absolutis, die 1 mensis Iunii anno 1901 sacro presbyteratus Ordine est insignitus. Postea cum suam institutionem perfecturus Romam missus esset, in Studio Apollinari doctoralem iuris canonici lauream adeptus est.

Caralim reversus, in paroeciam Sancti Iacobi primum coadiutor, deinde coparochus renuntiabatur; ibique indefessa navitate pastorali, quam praeser-

tim pro civibus exercebat, eminuit. Nam et sodalitatem, quae « Labor » dicitur, pro operariis litterarum rudibus et conventum a Sancta Rosa pro puellabus creavit, ephemerida v. d. *« Il Lavoratore »* et Nuntium Parochorum fundavit, cinematographeum aperuit, patres matresque familias sensificavit ut quaestiones scholasticas expedirent.

Nec minus impensam, ipseque praecipue in spiritalibus, operam navavit: nam cohortem honorariam SS.mi Cordis instituit eiusque cultum feria sexta hebdomadae primae cuiusque mensis celebratum dilatare curavit sicut et Eucharistiae adorationem octavo quoque die; Actioni quoque Catholicae operam dedit. Peculiari rerum humanarum contemptu pauperibus se tradebat, quibus ut totus studeret anno 1922 statuit se parochi officio abdicare. Subsequenti anno, cum a municipio Calaritano conventum quondam capulatorum, quem res publica Italiae religiosis viris subduxerat, accepisset, licet exiguis fretus facultatibus, Opus Boni Pastoris inchoavit; quod praesertim eo intendebatur, ut pueris et adulescentibus egentioribus, quibus humanam et christianam formationem artisque tirocinium offerret, adesset.

Anno 1925, puellarum se in apostolatu adiuvantium auxilio, communitatem Sororum Filiarum Mariae SS.mae Matris Divinae Providentiae et Boni Pastoris fundavit, quae anno 1937 in Piarum Societatum numerum est ascita. Anno autem 1942 ecclesiastica auctoritas filiabus illius in spiritu facultatem concessit vota oboedientiae, paupertatis castitatisque nuncupandi singulisque annis renovandi. Servus Dei interea alia egeniorum causa suscepit.

Quae quidem multifaria navitas ad Regnum Dei aedificandum salutemque animarum tota intendebat. Ipse autem viam salutis, qua alios ducebat, fervens constansque carpebat, Pastorem divinum imitans virtutesque tum christianas tum sacerdotales diem ex die excercens.

Fidem, quam per opera testificatus est, tum praedicatione scriptisque nuntiavit tum continenter propagandam curavit. Propriam pietatem per assiduam orationem perque devotionem erga Eucharistiam et Christi passionem aluit. Missam ferventer celebrabat, quae tamquam culmen ipsius dierum exsistebat. Filiali studio in Beatissimam Virginem floruit, quam SS.mo Rosario recitando invocaret; ipseque inde ab adulescentia marialia templa visitabat in locis v. d. *Bonaria* apud Calarim et *Bonnacatu* apud Othacam seu Oristanum. Dominum ex toto corde suo dilexit suasque filias in spiritu exhortatus est ut idem facerent. Cum docile instrumentum in manibus Creatoris exsisteret, peccatum vitavit utque Christum egeniores potissimum diligentem testificaretur naviter se tradidit pauperibus, pueris, mulieribus periclitantibus, senioribus, inhabilibus, sacerdotibus indigentibus, cognoscens quod

si tantum diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis consummata est (cf. *1 Io* 4, 12). Qui nempe populorum saeviente conflictu pluries vitam suam in discrimen adduxit dum gentibus maxime periclitantibus perfugium praestaret. Nam caritate compellebatur ut in suum Opus et illos reciperet quos alia instituta opitulantia reiecerant. Neque in rebus magis arduis umquam animo deficiebat, quippe qui minime vanis auxiliis humanis, sed Divinae Providentiae operi confideret.

Prudens consiliique plenus confessarius magisterque in spiritualibus fuit, qui, antequam aliquid magni momenti statueret, orabat cogitabatque, singula perpense considerans. Sincerus ac fidelis fuit, praesertim in muneribus exsequendis inque iusta mercede iis, qui pro Opere niterentur, solvenda. Iura operariorum et scriptis vindicabat secundum ea quae doctrina socialis Ecclesiae praecipiebat. Nec minus fortitudinis ac perseverantiae exhibuit in difficultatibus et impedimentis obeundis, quibus nec frangi neu abici pateretur; verbis autem temperans cibique parcus requiem tantum stricte necessariam corpori concedebat. Qui quidem in rerum humanarum contemptu vixit, miris modis evangelicam paupertatem exercens. Ecclesiasticorum Superiorum praeceptis paruit etiam cum id acerbae abdicationis esset, scilicet ut cum probatio recusata est ad erigendum Institutum Dioecesanum communitatis religiosae, quam ipse fundaverat. Nec ipse umquam in deforme obsequium delapsus est, quippe qui oboedientiam cum fide in propriis sententiis expromendis coniungere valeret; adeoque exemplo fuit in castitate servanda ut vere pro angelo in terris haberetur. Nec ullos honores sibi ipse desideravit, suas immo filias in spiritu exhortatus ne gratam beneficii memoriam exspectarent.

Die autem 5 mensis Augusti anno 1947, Missa exacta, subito morbo est correptus; quam quidem postremam infirmitatem cum pertulisset, subsequenti die 3 mensis Septembris sedem aeternam, quam speraverat degens in terris, petivit.

Diffusae famae sanctitatis intuitu, Archiepiscopus Calaritanus Causam beatificationis et canonizationis inchoavit per Inquisitionem dioecesanam annis 1990-1992 peractam. Cuius validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 15 mensis Octobris anno 1993 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 27 mensis Ianuarii anno 2004 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 19 mensis Octobris huius anni congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Salvatoris Boccaccio, Episcopi Frusinatensis-Ve-

rulani-Ferentini, Causae Ponentis, agnoverunt Virgilium Angioni presbyterum virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Virgilii Angioni, Sacerdotis dioecesani, Fundatoris Congregationis Filiarum Mariae SS.mae Matris Divinae Providentiae et Boni Pastoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

OPOLIENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Merkert Confundatricis et Primae Antistitae Generalis Congregationis Sororum a Sancta Elisabeth (1817-1872)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Rogo vos ut amanter et patienter infirmorum curam habeatis. Cogimur enim ostendere nos velle omnibus tantum benefacere omnesque in nomine Domini diligere; pro quibus, quandoque aliter facere nequimus, saltem orare optamus ».

Haec quidem praecepta, quibus ipsa suas Sorores hortabatur, Serva Dei Maria Merkert in cotidianis vitae adiunctis adhibuit. Ipsa enim ad gloriam

Dei et bonum Ecclesiae infirmorumque incubuit, quibus vero, quippe quae Boni Samaritani imago exsisteret genuina, paternam Dei bonitatem maternamque Ecclesiae sollicitudinem ostendit.

Quae fidelis Christi sectatrix nata est die 21 mensis Septembris anno 1817 in oppido v. d. *Nysa,* quod tunc temporis intra fines archidioecesis Breslaviensis continebatur. Puerili institutione absoluta, matris aegrotantis curam habuit; cuius post mortem operibus caritatis pro egenioribus se tradidit. Anno igitur 1842 in oppido v. d. *Nysa,* Serva Dei et nonnullae iuvenes se coniunxerunt cum Dorothea Clara Wolff († 1853), quae iam aegrotis subveniebat, et associationem inceperunt pro cura infirmorum derelictorum, sicque fundamenta iecerunt quae fieret Congregationis Sororum a Sancta Elisabeth. Inde a principio Dorothea Clara, Serva Dei et sociae pro Sororibus sunt habitae, cum tamen ad id tempus laicae mulieres fuissent. Postquam eaedem aliquid temporis apud Sorores Borromeas suae formationi operam dederunt, in oppido v. d. *Nysa* opus resumpserunt, licet plurimas molestasque humiliationes perpessurae, quas tamen Serva Dei patienter et humiliter toleravit.

Anno autem 1859 religiosa sodalitas est ab Episcopo Breslaviensi approbata; primoque Capitulo Generali celebrato, Serva Dei in primam Antistitam Generalem est delecta. Mense tandem Maio subsequentis anni temporariam ipsa professionem emisit.

Qua quidem moderatrice Institutum cito increbuit, quin immo a magistratibus quoque laudabatur. Serva Dei Sorores efformandas curavit, quibus mater amantissima fuit vitaeque christianae exemplar insigne: omnes enim virtutes exercuit, summam perfectionis evangelicae adipiscens. Deum corde indiviso dilexit eique fideliter famulata est, cuius ad nutum praesto esset. Quidquid enim ipsa agebat, fide summaque spe Providentiae subiciebatur. Suam vitam interiorem aluit oratione et devotione erga Augustissimum Sacramentum, SS.mum Cor Iesu, Beatissimam Virginem, Sanctum Ioseph Sanctamque Elisabeth Thuringam, quam sui Instituti religiosi patronam elegerat. Regno Christi propagando operam navavit suasque Sorores vel in asperrimos rerum contextus misit apostolatum exercituras. Omnibus viribus in proximum, praesertim quidem in infirmos, pauperes, derelictos puerosque inopes, est enixa. Quae arduis quoque temporibus in sua missione perseveravit suasque filias in spiritu ut idem agerent hortabatur.

Institutum cum prudentia et iustitia rexit suarumque Sororum sapiens moderatrix in spiritalibus fuit. Suum ipsa ingenium, quod admodum vividum existebat, coërcuit. Temperans eademque res humanas contemnens, Superiorum mandatis vel molestis paruit. Votum castitatis servavit, semetipsam Christo omnino donatam testificans. Suae navitatis praemia minime exqui-

sivit, utpote quae omnia laudi duceret Deo suisque adiutoribus. Cum autem nihil sibi parceret, labore confecta, quinquagesimum quintum annum agens vita functa est die 14 mensis Novembris anno 1872, magnum sui desiderium relinquens apud filias spiritales et populum, qui quidem eam « matrem pauperum ac samaritanam Silesiam » nuncupavit.

Diffusae famae sanctitatis intuitu, Exc.mus Episcopus Opoliensis Causae beatificationis et canonizationis initium dedit per Inquisitionem dioecesanam annis 1985-1997 celebratam. Cuius validitas iuridica rata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 27 mensis Februarii anno 1998 latum. *Positione* confecta, disceptatum est de more utrum Serva Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Dehinc igitur habita sunt, utraque quidem positivo cum exitu, Sessio Consultorum Historicorum (die 11 mensis Decembris anno 2001) et Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum (die 12 mensis Octobris anno 2004). Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 14 mensis Decembris eiusdem anni 2004 congregata, audita relatione Exc.mi D.ni Salvatoris Boccaccio, Episcopi Frusinatensis-Verulani-Ferentini, Causae Ponentis, agnoverunt Servam Dei Mariam Merkert virtutes theologales et cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Cardinali Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Merkert, Confundatricis et Primae Antistitae Generalis Congregationis Sororum a Sancta Elisabeth, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 20 mensis Decembris A.D. 2004.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SANCTI PAULI DE URBE

De abbatiae territorialis exstinctione.

DECRETUM

Iuxta normas a Decreto Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus » et a Motu Proprio « Catholica Ecclesia » exaratas, uti de aliis abbatiis territorialibus nuper actum est, Congregatio pro Episcopis a Summo Pontifice postulavit ut Abbatia Sancti Pauli de Urbe suum caracterem territorialem amitteret atque territorium eiusdem dioecesi Romanae adiungeretur.

Gratias maximas mereunt Monachi Ordinis S. Benedicti pro ministerio in salutem animarum laudabiliter plurima per saecula expleto in Sacrosancta Patriarchali Beati Pauli Apostoli Basilica. Attentis tamen huius temporis adiunctis, Summus Pontifex Ioannes Paulus, Divina Providentia PP. II, preces ad Se admotas animarum saluti valde profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter, supplito quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, quae sequuntur decrevit:

1) abbatia Sancti Pauli de Urbe suum praesentem statum iuridicum ut abbatiam territorialem amittit; manendo tamen ut abbatia illis cum proprietatibus quae aliis abbatiis religiosorum competunt;

2) integrum territorium exstinctae abbatiae territorialis Sancti Pauli de Urbe dioecesi Romanae adnectitur cuius Ordinario pastoralis cura fidelium ibi degentium committitur.

Ad haec perficienda, Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum Paulum Romeo, in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 7, mensis Martii, anno 2005.

✠ Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

L. ✠ S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 638/03

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 9 Martii 2005. — Cathedrali Ecclesiae Brigantiensi in Brasilia, Exc.mum P.D. Iosephum Mariam Pinheiro, hactenus Episcopum titularem Cabarsussitanum et Auxiliarem Sancti Pauli in Brasilia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Giufitanae R.D. Thomam Ferreira da Silva, e clero Campaniensi in Brasilia, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

die 15 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Bellevilensi, Exc.mum P.D. Eduardum K. Braxton, hactenus Episcopum Lacus Carolini.

die 17 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sammarinensi-Feretranae R.D. Aloisium Negri, e clero archidioecesis Mediolanensis, hactenus Magistrum apud Universitatem Catholicam Sacri Cordis Iesu.

die 18 Martii. — Coadiutorem Cathedralis Ecclesiae Tacnensis et Moqueguensis, R.D. Marcum Antonium Cortez Lara, e clero dioecesis Chiclayensis, hactenus Curionem paroeciae «Santa Lucia» in Ferreñafe.

die 19 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Legnicensi Exc.mum P.D. Stephanum Cichy, hactenus Episcopum titularem Bonustensem et Auxiliarem Katovicensem.

die 22 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Arcavicensi R.D. Caecilium Radulfum Berzosa Martínez, e clero archidioecesis Burgensis, hactenus in utraque sede, Burgensi ac Victoriensi, Theologicae Facultatis Hispaniae Septentrionalis professorem.

die 24 Martii. — Suburbicariae Ecclesiae Praenestinae, R.D. Dominicum Sigalini, e clero dioecesis Brixiensis, hactenus Curatorem Ecclesiasticum Generalem Adiunctum Sodalitatis ab Actione Catholica Italica.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cabarsussitanae R.D. Ioachimum Iustinum Carreira, e clero Iundiaiensi, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

die 30 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Reginatensi Exc.mum P.D. Danielem Iosephum Bohan, hactenus Episcopum titularem Migirpensem et Auxiliarem Torontinum.

— Cathedrali Ecclesiae Caxiensi, Exc.mum P.D. Iosephum Franciscum Rezende Dias, hactenus Episcopum titularem Ammeniensem et Auxiliarem de Pouso Alegre.

die 31 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Providentiensi, Exc.mum P.D. Thomam J. Tobin, hactenus Episcopum Youngstoniensem.

die 1 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Ferdinandopolitanae ab Unione, Exc.mum P.D. Artemium Lomboy Rillera, S.V.D., hactenus Episcopum Banguedensem.

— Titulari Ecclesiae Pertusensi R.D. Philippum Jourdan, ad praesens Administrationis Apostolicae Estoniensis Vicarium generalem, quem deputavit Administratorem eiusdem Administrationis Apostolicae.

— Cathedrali Ecclesiae Legazpiensi Exc.mum P.D. Nestorem Celestialem Cariño, hactenus Episcopum Titularem Achollitanum et Auxiliarem dioecesis Daëtiensis.

— Metropolitanae Ecclesiae Managuensi Exc.mum P.D. Leopoldum Iosephum Brenes Solórzano, hactenus Episcopum Matagalpensem.

die 2 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae Exc.mum P.D. Emmanuelem Ureña Pastor, hactenus Episcopum Carthaginensem in Hispania.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 11 Februarii 2005. — Cathedrali Ecclesiae Cabindanae Exc.mum P.D. Philemonem do Nascimento Vieira Dias, hactenus Episcopum titularem Flumenpiscensem et Auxiliarem archidioecesis Luandensis.

die 12 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thabracensi R.P. Petrum Hernández Cantarero, C.M.F., Moderatorem hactenus Instituti Claretiani de formatione seminaristarum, quem constituit Vicarium Apostolicum Darienensem.

die 15 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Gallensi, Exc.mum P.D. Haroldum Antonium Perera, hactenus Episcopum dioecesis Ratnapurensis.

die 19 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Hanoiensi, Exc.mum P.D. Iosephum Ngô Quang Kiêt, hactenus Episcopum Langsonensem et Caobangensem et Administratorem Apostolicum «sede plena» eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Khulnensi, R.P. Bejoy Nicephorum D'Cruze, O.M.I., hactenus superiorem Congregationis Missionariorum Oblatorum B.M. Immaculatae in Bangladesa et Seminarii maioris Dacchensis professorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gadiaufalensi R.D. Franciscum Xaverium Le Van Hong, hactenus parochum ct moderatorem formationis theologicae sacerdotum in archidioecesi Huéensi, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 5 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi, Exc.mum P.D. Marcellum Honoratum Leonem Agboton, hactenus Episcopum Portus Novi.

die 12 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Punalurensi, R.D. Iosephum Kariyil, hactenus Vicarium generalem dioecesis Coccinensis.

die 18 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Kilvaënsi Kasengaënsi R.D. Fulgentium Muteba Mugalu, e clero Kongoloënsi et Secretarium generalem Conferentiae Episcopalis Nationalis.

— Cathedrali Ecclesiae Manonensi, R.D. Vincentium De Paul Kwanga Njubu, e clero dioecesis Kongoloënsis et Moderatorem Nationalem Pontificalium Operum Missionalium in Republica Democratica Congensi.

— Cathedrali Ecclesiae Ratchaburensi, R.D. Ioannem Bosco Panya Kritcharoen, hactenus parochum in oppido vulgo «Chombung» et Moderatorem Instituti de Evangelizatione.

— Cathedrali Ecclesiae Truxillensi, R.P. Aloisium Solé Fa, C.M., hactenus parochum et Vicarium Episcopalem Vicariae in oppido vulgo «Mosquitía».

die 21 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Macontanae, R.P. Paulum Hinder, O.F.M. Cap., hactenus Auxiliarem Vicariatus Apostolici Arabiae, quem constituit Vicarium Apostolicum eiusdem Vicariatus Apostolici.

die 22 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Daloaënsi, Exc.mum P.D. Mauritium Konan Kouassi, hactenus Episcopum dioecesis Odiennensis.

die 30 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Accraënsi, Exc.mum P.D. Gabrielem Carolum Palmer-Buckle, hactenus Episcopum Koforiduanum.

die 1 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae et Meliaporensi, Exc.mum P.D. Malayappan Chinnapa, S.D.B., hactenus Episcopum Vellorensem.

— Cathedrali Ecclesiae Buniaënsi, R.D. Deodatum Uringi Uuci, e clero Buniaënsi, ibique hactenus Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Tuticorensi, R.D. Ivonem Ambroise, e clero dioecesis Pondicheriensis et Cuddalorensis et Coordinatorem regionalem «Caritatis Asiae».

— Coadiutorem Cathedralis Ecclesiae Inhabanianae, P.D. Adrianum Langa, O.F.M., hactenus Auxiliarem archidioecesis Maputensis et Episcopum titulo Baianensem.

— Coadiutorem Cathedralis Ecclesiae Sivagangaiensis, R.D. Jebamalai Susaimanickam, hactenus Vicarium generalem dioecesis Madhuraiensis.

— Ordinariatui Militari in Nova Zelandia, Exc.mum P.D. Ioannem Atcherly Dew, Archiepiscopum archidioecesis Vellingtonensis.

die 1 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Narensi, R.P. Georgium Maculewicz, O.F.M. Conv., quem constituit Administratorem Apostolicum Usbekistanianum.

die 2 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Mombasaënsi, Exc.mum P.D. Bonifatium Lele, hactenus Episcopum Kituiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Lirensi R.P. Iosephum Franzelli, M.C.C.I., Moderatori hactenus curriculorum apud Domum Generalem Combonianorum et missionarium olim in Ugandia.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 7 Februarii 2005. — Exc.mum P.D. Pium Mlungisi Dlungvana, Episcopum titularem Altinensem et Auxiliarem dioecesis Collis Mariae seu Mariannhillensis, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem dioecesis.

— Exc.mum P.D. Cyrum Stojanov, Episcopum titularem Centurionensem et Auxiliarem dioecesis Scopiensis, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem dioecesis.

die 11 Februarii. — Exc.mum P.D. Damianum Antonium Franklin, Archiepiscopum Luandensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Cabindanae.

die 19 Februarii. — Exc.mum P.D. Iudam Thaddaeum Ruwa'ichi, O.F.M. Cap., Episcopum Dodomaënsem Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Mbulensis.

— Exc.mum P.D. Iosephum Ngô Quang Kiêt, Archiepiscopum Hanoiensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctac Sedis» dioecesis Langsonensis et Caobangensis.

die 22 Februarii. — R.D. Andream Jagaye Karnley, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» archidioecesis Monroviensis.

die 5 Martii. — Exc.mum P.D. Nestorem Assogha, Archiepiscopum emeritum Cotonuensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nu-

tum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

die 5 Martii 2005. — Exc.mum P.D. Marcellum Honoratum Leonem Agboton, Archiepiscopum Cotonuensem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Portus Novi.

die 22 Martii. — Exc.mum P.D. Mariam Danielem Dadiet, Archiepiscopum Korhogoënsem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Odiennensis.

die 23 Martii. — R.P. Iosephum Seijas Torres, O.F.M., Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioecesis Tingitanae.

die 30 Martii. — Exc.mum P.D. Dominicum Kodwo Andoh, Archiepiscopum emeritum Accraënsem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

die 2 Aprilis. — Exc.mum P.D. Ioannem Njenga, Archiepiscopum emeritum Mombasaënsem, Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» eiusdem archidioecesis usquedum novus Episcopus possessionem capiat.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

L'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato, ha ricevuto in Udienza, a nome del Santo Padre, in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì 7 marzo, S.E. il Signor Helmut Türk, Ambasciatore d'Austria presso la Santa Sede; successivamente, S.E. il Signor Stavros Lykidis, Ambasciatore di Grecia presso la Santa Sede.

Mercoledì 9 marzo, Sua Altezza Reale la Principessa Khétévane Bagration de Moukhrani, Ambasciatore della Georgia presso la Santa Sede.

Giovedì 10 marzo, S.E. il Signor Félix Oudiane, Ambasciatore del Senegal presso la Santa Sede.

Giovedì 17 marzo, S.E. il Signor Lawrence Edward Chewning Fàbrega, Ambasciatore di Panamá presso la Santa Sede.

Il Medesimo Cardinale Segretario di Stato ha altresì ricevuto in Udienza, a nome del Santo Padre:

Mercoledì 2 marzo, S.E. il Sig. Jean Ping, Ministro degli Affari Esteri del Gabon e Presidente della 59ª Assemblea Generale dell'Organizzazione delle Nazioni Unite.

Venerdì 18 marzo, S.E. il Sig. Dragan Čović, membro della Presidenza Collegiale della Bosnia ed Erzegovina.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

1	aprile	2005	S.E.R. Mons. Alberto Bottari de Castello, Arcivescovo titolare di Foraziana, finora Nunzio Apostolico in Gambia, Guinea, Liberia e Sierra Leone, *Nunzio Apostolico in Giappone.*
»	»	»	Il Rev.do Mons. Charles Daniel Balvo, finora Consigliere della Nunziatura Apostolica in Lituania, elevandolo in

pari tempo alla sede titolare di Castelio, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Palau, Isole Marshall, Kiribati, Stati Federati di Micronesia, Tonga, Vanuatu e Delegato Apostolico nell'Oceano Pacifico.*

2	»	»	S.E.R. Mons. Luigi Pezzuto, Arcivescovo tit. di Torre di Proconsolare, finora Nunzio Apostolico in Tanzania, *Nunzio Apostolico in El Salvador e Belize.*
»	»	»	S.E.R. Mons. Giovanni Battista Diquattro, Arcivescovo tit. di Giromonte, *Nunzio Apostolico in Panama.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5	marzo	2005	Il Rev.do P. Cristoforo Bove, O.F.M. Conv., *Relatore della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*
»	»	»	L'Ill.mo Dott. John F. Kyle, Vice-Presidente della « Imperial Oil Limited » (Canada), *Revisore Internazionale presso la Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad triennium ».*
»	»	»	I Rev.di: P. Mieczyslaw Lubomirski, S.I.; P. Mihály Szentmártoni, S.I.; P. Angelo Giuseppe Urru, O.P., *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*
6	»	»	Gli Em.mi Signori Cardinali Antonio María Rouco Varela, Arcivescovo di Madrid e Angelo Scola, Patriarca di Venezia, *Membri della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*
»	»	»	Gli Em.mi Signori Cardinali Roger Michael Mahony e Juan Sandoval Íñiguez, *Membri della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud qiunquennium ».*
»	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Jean-Claude Turcotte e l'Ecc.mo Mons. Andrea Maria Erba, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*
10	»	»	L'Ill.mo Prof. Ingo Potrykus, Professore emerito di Scienze dei vegetali all'« Institute of Plant Sciences » presso lo « Swiss Federal Institute of Technology » (ETH) di Zurigo (Svizzera), *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze « ad quinquennium ».*
»	»	»	L'Ecc.mo Mons. Willem Jacobus Eijk, Vescovo di Groningen (Paesi Bassi); il Rev.do Mons. Jean-Marie Musivi Mpendawatu (Repubblica Democratica del Congo); gli Ill.mi: Prof. Angelo Fiori (Italia); Prof. ssa Alicja Grześkowiak (Polonia); Dott. Manfred Lütz (Germania); Prof. Patricio Ventura-Juncá del Tobar (Cile), *Membri del Consiglio Direttivo della Pontificia Accademia per la Vita « ad quinquennium ».*

12 marzo 2005 Gli Em.mi Signori Cardinali: Francis Arinze, Prefetto della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti; Juan Sandoval Íñiguez, Arcivescovo di Guadalajara; Telesphore Palcidus Toppo, Arcivescovo di Ranchi, *Presidenti Delegati per l'Undicesima Assemblea Generale Ordinaria del Sinodo dei Vescovi*; S.E.R. il Signor Cardinale Angelo Scola, Patriarca di Venezia, *Relatore Generale*; S.E.R. Monsignor Roland Minnerath, Arcivescovo di Dijon, *Segretario Speciale.*

» » » I Rev.di: Sac. Martin Bahati, della Diocesi di Nyunda, Professore nel Seminario Maggiore Regionale (Rwanda); P. Jeremy Driscoll, O.S.B., dell'Abbazia «Mount Angel» di St. Benedict in Oregon (Stati Uniti d'America), Professore presso il Pontificio Istituto Liturgico del Pontificio Ateneo S. Anselmo, Roma; P. Philippe Dupont, O.S.B., Abate di Solesmes (Francia); Mons. Peter Elliott, Vicario Episcopale per la catechesi dell'Arcidiocesi di Melbourne (Australia); P. Juan Javier Flores Arcas, O.S.B., dell'Abbazia di «Santo Domingo» di Silos (Spagna), Preside del Pontificio Istituto Liturgico del Pontificio Ateneo S. Anselmo, Roma; Sac. Joannes Hermans, della Diocesi di Roermond, Professore di Liturgia e Teologia sacramentaria nei Seminari Maggiori delle Diocesi di Roermond e di Haarlem, Segretario della Commissione Liturgica della Conferenza dei Vescovi dei Paesi Bassi; Sac. Juvenal Ilunga Muya, della Diocesi di Kolwezi (Repubblica Democratica del Congo), Professore presso la Pontificia Università Urbaniana, Roma; Sac. Tamsanqa Nicholas Konrad Lamla, incaricato di Liturgia della Diocesi di Umtata (Sud Africa); Sac. Lawrence Madubuko, responsabile per la Liturgia dell'Arcidiocesi di Onitsha (Nigeria); Sac. Patrick McGoldrick, della Diocesi di Derry, Membro della Commissione Nazionale per la liturgia, l'arte e l'architettura (Irlanda); P. Masaharu Joannes V. Nagumo, O.F.M., Professore di Liturgia presso il Seminario di Tokyo (Giappone); Rev.do Sac. Louis-André Naud, animatore pastorale dell'Arcidiocesi di Québec (Canada), *Consultori della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, sez. Culto Divino «ad quinquennium»*; i Rev.di: P. Gianfranco Ghirlanda, S.I., Rettore Magnifico della Pontificia Università Gregoriana, Roma; Mons. Gerard McKay, Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana; P. Luigi Sabbarese, C.S., Decano della Facoltà di Diritto Canonico della Pontificia Università Urbaniana, Roma, *Consultori*

della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, sez. Disciplina dei Sacramenti « ad quinquennium »; i Rev.di: P. Alberto Aranda Cervantes, M.Sp.S.; P. Matías Augé, C.M.F.; Mons. Stanislaw Czerwik; Sac. Antonio Donghi; Sac. Jean Evenou; P. Giuseppe Ferraro, S.I.; P. Robert Godding, S.I.; Mons. James Patrick Moroney; Sac. Marco Navoni; Sac. Gabriel Ramis; P. Pedro Ignacio Rovalo Azcué, S.I., *Consultori della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, sez. Culto Divino « in aliud quinquennium »*; i Rev.di: P. Manuel Arroba Conde, C.M.F.; Mons. Carlos Josè Errázuriz Mackenna; P. Urbano Navarrete, S.I.; P. Giuseppe Sirna, O.F.M. Conv., *Consultori della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, sez. Disciplina dei Sacramenti « in aliud quinquennium »*.

15 marzo 2005 Il Rev.do P. Angelo Serra, S.I., Professore emerito di Genetica Umana nella Facoltà di Medicina e Chirurgia dell'Università Cattolica del Sacro Cuore, Roma; gli Ill.mi: Dott. Maurizio Evangelista, Ricercatore presso la medesima Università; Dott.ssa Simona Castellano, Fisiatra, Roma; Prof. David Antonio Fletzer, Segretario dell'Associazione Medici Cattolici Italiani, *Consultori del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari « ad quinquennium »*.

» » » Il Rev.do Mons. Sergio Pintor; gli Ill.mi: Dott. Fernando S. Antezana Araníbar; Avv. Maurizio Scelli, *Consultori del Pontificio Consiglio per gli Operatori Sanitari « in aliud quinquennium »*.

16 » » Le LL.EE. Mons. Paul Fouad Tabet, Arcivescovo titolare di Sinna, Nunzio Apostolico, e Bruno Forte, Arcivescovo di Chieti-Vasto (Italia), *Membri del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani « ad quinquennium »*.

17 » » Il Rev.do Sac. Alberto Venturoli, O.C., *Capo Ufficio nella Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato « ad quinquennium »*.

29 » » Il Rev.do P. Edward Kaczyński, O.P., *Presidente della Pontificia Accademia di San Tommaso d'Aquino « ad quinquennium »*.

» » » S.E.R. Mons. Marcelo Sánchez Sorondo, *Prelato Segretario della Pontificia Accademia di San Tommaso d'Aquino « ad quinquennium »*.

1 aprile » Il Rev.do P. Michael A. Blume, S.V.D., *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium »*.

2 » » S.E. Mons. Nechan Karakéhéyan, trasferendolo dall'Eparchia di Ispahan degli Armeni e assegnandogli nello stesso

tempo la sede titolare di Adana degli Armeni, con il titolo di Arcivescovo «ad personam», *Ordinario per gli Armeni cattolici dell'Europa Orientale*.

Il Card. Segretario di Stato ha nominato:

12 marzo 2005 L'Ill.mo Sig. Dott. Alberto Gasbarri, *Direttore Tecnico «ad interim» della Radio Vaticana.*

NECROLOGIO

7	marzo	2005	Mons. José Gottardi Cristelli, Arcivescovo Metropolita em. di Montevideo (*Uruguay*).
8	»	»	Mons. Luciano Nervi, Vescovo di Mangochi in Malawi (*Zambia*).
»	»	»	Mons. Román Arrieta Villalobos, Arcivescovo em. de San José de Costa (*Costa Rica*).
14	»	»	Mons. Abele Conigli, Vescovo em. di Teramo-Atri (*Italia*).
»	»	»	Mons. Giuseppe Torti, Vescovo em. di Lugano (*Italia*).
»	»	»	Mons. Joseph M. Breitenbeck, Vescovo em. di Grand Rapids (*Stati Uniti d'America*).
16	»	»	Mons. José Alves Trindade, Vescovo em. di Montes Claros (*Brasile*).
19	»	»	Mons. Bohdan Bejze, Vescovo tit. di Idassa.
21	»	»	Mons. Vekoslav Grmič, Ausiliare em. di Maribor (*Slovenia*).
29	»	»	Mons. Edward D. Head, Arcivescovo em. di Buffalo in New York (*Stati Uniti d'America)*.